

Index Capitulum.

- de firmitate eius testamenti sequuta professione, & quis ei ab intestato morienti succedat; & hac attento iure antiquiori ante Tridentinum. 279
- IV. An beneficia nouitij vacant, aut illis renunciare valeat, conferri possint, attento iure antiquiore ante Tridentinum? 297
- V. Quid immutatum sit per Tridentinum sess. 25. de regular. cap. 16. circa dispositiones bonorum ad nouitios pertinentium siue donando, siue renunciando, aut aliter contrahendo, aut testando, & circa renunciaciones beneficiorum ecclesiasticorum. 301
- VI. De solemnitatibus alijs ultra petitis per Tridentinum ad renunciacionis nouitiorum valorem. 316
- VII. Que bona comprehendantur in hac nouitiorum renunciacione, & in qua tanquam comprehensa succedat post professionem monasterium, non obstante ea renunciacione. 319
- VIII. Qualiter professio interdictum sit testari. 329
- IX. Qualiter professio habentibus ascendentes, aut descendentes, testari liceat inter eos. 340
- X. An patre professio debeatur statim legitima filijs, & contra filio professio debeatur statim legitima parentibus. 346
- XI. An professio integrum sit testamentum ante professionem factum, aut diuisionem factam inter liberos post professionem reuocare, aut declarare? 348
- XII. Qualiter, & quo iure succedat monasterium succedendi capax in bona professi, de quibus ille ante professionem non disposuerat, & an ad acquirendam hereditatem monacho delatam desideretur aliqua ipsius monachi aditio? 352
- XIII. Qualiter filijfamilias professi peculium siue castrense, siue quasi castrense, siue aduentitium, siue profectitium transeat in monasterium. 362
- XIV. Qualiter transeat ad monasterium ius patronatus, ius nominandi ad emphyteosim, petende renouacionis eiusdem, ius retractus ratione sanguinis competentia in seculo religioso. 381
- XV. Qualiter ad monasterium transeat maioratus, feudum, emphyteusis, res cum pacto non alienandi tradita, profectitium. 384
- XVI. An si granatus, ut bona aliqua cuidam tertio restituant, si absque liberis deceat, ingreditur religionem nullis filijs relictijs, succedat monasterium in ea bona? 397
- XVII. Qualiter acquirantur monasterio relicta monacho ea lege, ut ad eum, & non ad monasterium pertineant, nec possit in illa superior se intrinmittere, & eo se intrinmittere perdatur legatum, & an aliquid possit a superiore ita monacho concedi, ut superior ipse auferre nequeat? 415
- XVIII. Quid distet inter votum simplex, & solemnne paupertatis, & qualiter utrumque obliget, & in quo consistant; & an solemnne impediatur dominium acquiri religioso omnibus priuatis, etiam rerum, que vnicui consumuntur vsu? 420
- XIX. Explicatur, que in particulari sint contra paupertatis votum, & qualis licentia superioris excuset. 426
- XX. An vitium proprietatis in religioso, quo absque superioris licentia usurpat, aut alienat, sit semper culpa letalis, & duplex culpa sacrilegij, ac furis, ac quibus penis subiaceat? 448
- XXI. Qualiter peccet religiosus paulatim modica aliqua accipiens, aut expendens absque superioris licentia. 450
- XXII. Qualiter religiosus habere peculium aliquod, seu redditus, ex licentia superioris liceat. 456
- XXIII. Qualiter peccent Pralati religionum dantes peculio habendo causam, plures admittendo, quam qui ex redditibus monasterij, ac conuersis elemosynis sustentari valent. 461
- XXIV. An religiosus integrum sit ex elemosynis emendicatis viuere, an possit labori corporali teneantur incumbere, quo victum sibi comparent? 463
- XXV. Qualiter religio, aut religiosus ipse, etsi ordinis Minorum sit, capax sit hereditarie successiois ex testamento, vel ab intestato. 465
- XXVI. Qualiter religio ipsa, aut religiosus, etsi sit ordinis Minorum, capax legati percipiendi sit. 470
- XXVII. De paupertate Societatis IESV, & an post illa, eiusque religiosi heredes, aut legatarij institui; & que sint huic paupertati peculiaria? 480
- XXVIII. In quibus ministerijs interdictum sit Societati IESV stipendium accipere, & an id accipere aduersetur voto paupertatis. 486
- XXIX. Qualiter regularis capax sit beneficii, aut pensionis, & qualiter beneficia vacant, pensionesque extinguantur religionis professione. 490
- XXX. An si religiosus acceptet absque superioris licentia pecuniam in pauperes distribuendam, vel distribuat alij quam pauperi designato, sit reus voti paupertatis? 521
- XXXI. Qualiter monasterium ex contractu, aut delicto religiosi obligetur, & qualiter ij contractus sint prorsus irriti, nec ipsemet religiosus ex illis teneatur. 525
- XXXII. Quando religiosus transit licite ab una religione in alteram, vel ad Episcopatum, aut ad aliud beneficium, ad quem pertineant bona, que prius acquisierat, vel in posterum acquirat. 532
- XXXIII. Cui acquirant religiosi a potestate, vel a religione, eiccti, siue transierint ad aliam religionem, seu ad aliud beneficium ecclesiasticum, siue non. 546
- XXXIV. Cui acquirant conuersi, & oblati, ac fratres Xenodochij Ioannis de Deo, siue vere professi, dolo tamen Abbatis ad profectendum inducti. 550

LIBER



LIBER QUINTVS DE VOTO SOLEMNI IN COMMVNI, ET DE SOLEMNI CASTITATIS.

CAPVT PRIMVM.

In quo solemnitas voti consistat: & qualiter a simplici differat: & quo iure matrimonium subsequens dirimat: & vtrum ex his ad veram religionis essentiam desideretur.

SVMMARIVM.

Quot quaestiones disputanda sint. n. 1.

An stando in iure naturali differant votum simplex, & solemnne, & differant specie: & in quo vtriusque essentia consistat: & quo iure per solemnne dirimatur matrimonium sequens? Responderunt variis sententia a numero 2. vsque ad 5.

Explicatur sententia auctoris circa hac: & an eodem modo obliget vtrumque, ac votum solemnne sit ens per accidens? a n. 6. vsque ad 9. An solemnne paupertatis votum reddat iure natura vouentem incapacem dominij acquirendi, & illius transferendi? eodem n. 9. Post n. 9. inuenies alia summaria.



HACTENVS de voti simplicis obligatione egimus: iam de voto solemnne agendum est. Er primo quidem in genere: deinde autem de singulis solemnibus obedientia, paupertatis, & castitatis votis agemus. Triplex ergo quaestio in hoc capite disputanda est. Prima, an sit aliquod discrimen stando in solo iure naturae inter votum solemnne, & simplex: & quo iure per solemnne dirimatur matrimonium subsequens? Secunda, est totum discrimen sit ex iure ecclesiastico, in quo illud consistat: Vltima, an ad veram religionis essentiam professio solemnne desideretur?

QVAESTIO prima. An seculo iure ecclesiastico, & stando in solo iure naturae, sit aliquid discriminis inter votum simplex, & solemnne: an potius tota voti solemnne ratio, & differentia a simplici, sit ex ipso iure ecclesiastico: & quo iure per votum solemnne dirimatur matrimonium subsequens? Triplex est sententia. Prima aut, essentiam voti solemnne consistere in quadam benedictione: Hanc retulimus lib. 7. de matrimonio, disput. 25. n. 1.

Secunda sententia sustinet, essentiam voti solemnne consistere in actuali dominij sui ipsius traditione in manus Dei, ac Praetatorum vices Dei gerentium, ipsiusque nomine eam acceptantium: ac proinde differre essentialiter, & ipso iure naturae attento, a voto simplici, quod in hoc aut nulla sit traditio: aut quando promittitur aliquid quod in futurum tempus confertur, vt est votum in Summa Th. Sanchez. pars 111.

gressus religionis: aut si sit traditio, vt contingit in simplici castitatis voto, est imperfecta, nec dominio sui corporis vouentem spoliatis, sed litro vsu solo. At in voto religionis solemnne est perfectissima traditio a superioribus nomine Dei acceptata, abdicans omne vouentis dominium, & transferens illud perfectè in Deum, & superiores nomine Dei acceptantes: ita vt Deus sit iam dominus eius, non tantum tanquam causa vniuersalis, quale ceterarum rerum dominum habet, sed competat speciale huius personae dominium, quod ipsa antea habebat in seipsam tanquam peculiaris persona, ac suorum actuum domina: ac proinde reddatur incapax per se, & ex natura rei transferendi in alterum sui dominium. Quare sicut ipso naturae iure differunt sponsalia, & matrimonium, quod illa sint futurarum nuptiarum promissio, nec dominium sui corporis a sponsis auferunt, hoc autem perfectissima traditio, priuans omnino corporis dominio coniungit ipsos: sic naturae iure eadem differentia est inter votum simplex, & solemnne. Quamobrem iuxta hanc sententiam, sicut matrimonij essentia perfectè, & integrè, iure ipso naturali consistit in corporis traditione, per alterum coniungem acceptata: solemnitates autem quas Ecclesia postulat, vt valida sit ea traditio, sunt ex iure ecclesiastico, & conditiones sine quibus non matrimonij essentia consisteret; vt celebrari coram parcho, & testibus, in tali aetate, &c. Ita voti solemnne professionis essentia est integrè, & perfectè ex ipso naturae iure, consistens in praedicta traditione: circumstantiae autem ab Ecclesia praecipuae ad illius traditionis valorem, sunt accidentales, & conditiones sine quibus

A

quibus

quibus non, sicut professionem emitti in religione approbata, in etate determinata, transacto nouitatus anno, &c. Et sic explicat hanc sententia decretum Bonifacij VIII. c. unico, de voto, in 6. dicentis solemnitate voti esse ex Ecclesie constitutione, ut intelligatur de solemnitate extrinseca, & accidentaliter. Authores huius sententiae, & eius fundamenta retulimus lib. 7. de matrim. disp. 25. n. 7. vsque ad 20.

4 Hinc deducit hanc sententia, non tanti vinculi esse ex ipsa rei natura votum simplex, quanti est solemnne, & utrumque specie differre. Cuius rationem, & authores retulimus ea disp. 25. n. 18. & 19.

5 Secundo deducit hanc sententia, solemnne professionis votum ex vi sua, ac iure naturali, atque seculo quocumque ecclesiastico, vim sortiri matrimonij postea iniuncti cassandi. Sicut matrimonium reddit ipso iure natura irritum quodcumque aliud matrimonium initum ipso flante. Putatque hanc sententia hoc modo intelligendum decretum Syriaci Pontificis in epistola 1. c. 6. quod refertur c. si quis sacro, in fin. 27. q. 1. dicentis, contrahentes matrimonium post solemnne religionis votum, separandos esse verbo Domini, & auctoritate canonica. Et decretum Tridentini sess. 24. de matrim. can. 9. anathematizans dicentes matrimonium in facis ordinibus constituti, aut professi, valere non obstanti constitutione ecclesiastica, & voto. Vbi lex ecclesiastica refertur ad ordinem, votum autem ad professionem: quasi ex vi huius voti matrimonium postea initum dirimatur. Authores huius sententiae, eiusque fundamenta retulimus lib. 7. de matrim. disp. ar. 26. n. 4. ubi n. 3. retulimus aliam dicentem, id habere ex solo iure diuino positio. Et quibus hi Doctores non agant de solemnni paupertatis voto: at iuxta suam sententiam debent consequenter dicere, iure naturali reddi per illud uolentem incapax dominij acquiritur, ac illud in alterum transferendi.

At sententia (quam verissimam puro) ait solemnne professionis votum, & simplex non differre per se, & essentialiter, ex virtute voti natura, sed solum accidentaliter, & extrinsece, ex sola Ecclesie constitutione: ac proinde totam voti solemnitate esse solius iuris ecclesiastici, quamuis ipsa voti obligatio erga Deum sit iuris diuini naturalis, cuius est etiam obligatio voti simplicis. Cuius sententiae authores, & fundamenta retulimus lib. 7. de matrim. disp. 25. n. 2. & post ibi scripta descendit latissime, & eruditissime, & nonnulla Societate Patres Petrus Ribadeneira in libro de instituto Societatis I. E. S. V. 1010 c. 15. & Gabriel Vasquez 1. 2. q. 96. ar. 4. disp. 165. 1010 c. 2. & multis sequentibus, & specialiter c. 7. & 8. Nunc autem amplius id probabimus aliquibus rationibus, aut magis explicando aliquas, quas ibi adduximus. Probatur ergo primo, ex decreto Bonifacij VIII. c. unico, de voto, in 6. ubi Episcopo Riterensi interroganti, quod votum debeat dici solemnne, ad matrimonium subsecquens irritum reddendum, ait solemnitate voti ex sola Ecclesie institutione inuentam esse. Nec valet solutio contrariae sententiae dicentis id intelligi de sola solemnitate accidentaliter. Quippe ex hac ratione colligitur ibi Pontifex, duplex solum esse votum solemnne, cum effectum producat: quasi dicat, quia tota voti solemnitas est ex Ecclesie constitutione, & ipsa duplex solum votum vt solemnne, & matrimonium duplex admittit: ideo duplex solum est huiusmodi votum. Quae ratio omnino contraheret, intellectu textu de sola accidentaliter solemnitate. Nec enim ex accidentalibus res definienda est. Insuper Pontifex ibi constituit discrimen inter vinculum matrimonij, & voti solemnne vt sic, quod illud ex Dei institutione, hoc autem ex sola Ecclesie constitutione fit. Non ergo loquitur de sola accidentaliter solemnitate: hanc enim tam in voto, quam in matrimonio est ex Ecclesie solius constitutione, & sic nil discriminis esset. Vult ergo totam voti solemnitate esse, ex Ecclesie Instituto. Praeterea, quia nouissime Greg. XIII. in sua extrauag. ascendente, refe-

rens errorem eorum, qui hac nostra tempestate dixere, emittentes simplicia bienni vota in Societate I. E. S. V. non esse vere & proprie religio, rationem erroris eorum reddit, eo quod non considerant solemnitate voti sola Ecclesie constitutione inuentam esse, iuxta praedictum Bonifacij VIII. decretum. At non latebat Pontificem id, quod luce meridiana clarius est, nempe, eos omnes, & patronos contrariae sententiae cum textum explicuisse de solemnitate accidentaliter. Ergo decretum utrumque de essentialiter solemnitate est necessarium accipiendum. Atque aliis etiam modis vim huius decreti ponderat Valquez ea disp. 165. c. 2. n. 14. vsque ad 18. Secundo probatur, quia etsi in solemnibus paupertatis, & castitatis votis inuenitur ea dominij translatio, & inhabilitas ad matrimonium, & ad acquirendum, transferendumque rei alicuius dominium: at in reliquis aequae solemnibus votis id nequit reperiri; vt in voto obedientiae, manet enim adhuc dominium voluntatis in professore, ad multa valide faciendi, etiam contra superioris praescriptum. Vt iustus ne abique licentia uocatur, aut ne facta pro aliis faciat, efficitur valide utrumque, &c. Et votum vite quadragesimalis fratrum Minorum est solemnne, vt eorum traditio habet: & constat ex eius forma, quod aequo, ac simul cum aliis tribus solemnibus emittitur. Et docent esse solemnne Palacios 4. d. 38. disp. 2. fol. 88. colum. 2. vers. perit horum discriminum. Azor lib. 12. inst. moral. c. 6. q. 9. cum tamen in ipso dari nequeat ea traditio priuans dominio, & facultate contrarium valide faciendi. Tertio, quia seculo omni iure humano irritanti, impossibilis est traditio quacumque solemnitate, aut firmitate facta, quae inhabilem contrahentem reddat ad matrimonium, dempto alio matrimonio nondum dissoluto. Nam seruitus, quae maxima omnium traditionum est, quae seruis traditur in ius, & dominium sui domini, non impedit matrimonium futurum: & quamuis ea lege, & stipulatione specialiter traderet quispiam in seruum, & totale suae personae dominium, vt nec valide possit ad nuptias transire, idque iurare, ac quacumque firmitate nuptiarum, possit quidem inde consergere vt illicitum matrimonium iniret, at esse irritum fieri non possit, nisi iuris humani irritare poterit auctoritas accedere. Neque ad alios actus legitimos, & comparandum rei dominium potest quispiam sola propria auctoritate, quantumvis iuramento, & quibusvis pactis vbi quibusvis clausulis firmetur, se inhabilem efficere, nisi iuris humani auctoritate inhabilitas reddatur; vt constat in seruo, cuius maxima est traditio: & tamen proprium possidere potest ex domini pacto cum ipso inito. Ex quo pacto etiam non ciuilem, obligationem tamen naturalem consergere probauimus lib. 7. de matrim. disp. 24. duobus vltimis numeris. Et quamuis seculo iure humano irritanti omnium bonorum donationem, possit dari casus, quo non directe, sed indirecte redderet se quispiam inhabilem ad acquirendum bonorum dominium, vel transferendum in alium; vt si donaret omnia bona praesentia, & futura, & omnia iura, & actiones: at oporteret ad id accedere acceptationem eius, cuius interest, & ex ipsius voluntate cessare inhabilitas illa. Sed per solemnne paupertatis votum non fit ea donatio, cum in monasterium non transferatur iure ipso naturaliter bona, & actiones, sed solo iure humano: & hoc tantum quando monasterium est successiois capax. Atque quando monasterium est succedendi incapax, deuoluntur ea bona ad haeredes possessiui autem non acceptant, neque acceptant, quando ille religiosus in eo proficitur, nec Praelatus religionis nomine ipso, vt pote qui non habet potestatem acceptandi ab ipsis. Nec ex monasterij, & haereditum consensu, esset profectus ille capax dominij. Atque ita totalis inhabilitas, qualis in solemnni paupertatis voto reperitur, ad acquirendum dominium, illud uere transferendum, excogitari nequit ex propria alicuius voluntate consergens, nisi auctoritas Ecclesiae illam inhabilitatem voto illi annexam accedet.

accederet. Adde saltem respectu matrimonij, nec cum modum excogitari posse, dempto alterius matrimonij adhuc durantis vinculo. Quorum omnium ea est ratio, quia voluntas cuiusvis priuatae personae seclusa donatione potest valide reuocari ab eadem persona, per aliam contrariam voluntatem, quae reuocata cessat inhabilitas ex priori voluntate consergens. Siquidem existenti contrahendi voluntate contractus naturali iure permisso, nec irritus per ius positum, nil deesse videtur vt contractus firmus sit, quantumvis contraria voluntas antecesserit. Non ergo potest ratio voti solemnne consistere in traditione reddenti inhabilem profectum ad actus legitimos, sed ea inhabilitas in ipso repetita erit ex merito iure ecclesiastico. Tandem, quia attento iure antiquiori, est satis probabile professos habuisse in aliquo casu bonorum dominium; vt late probant Patres Petrus Ribadeneira extrauag. Instituto Societatis I. E. S. V. c. 18. & Gabriel Vasquez ea disp. 165. c. 6. n. 50. Azor lib. 12. institutionum moralium c. 6. q. 4. Non ergo id solemnne votum constituit in ea inhabilitate ex iure naturali consergente; sed ea inhabilitas, & solemnitas sunt ex solo iure ecclesiastico.

7 Hinc deducitur primo contra primum corollarium contrariae sententiae relatum n. 4. votum solemnne & simplex esse prorsus eiusdem speciei, & sola extrinseca accidentaliter differre inter se differre: quod solemnne mutatur ea solemnitate ab Ecclesie Instituto; illa autem simplex caret. Quare ex hac parte distat tanquam priuatum, & positum, vt bene ait Metina lib. 4. de sacrorum hominum consuetudinibus, controuersia 7. c. 38. hinc iam solemnne. Et ita utrumque per se, & suapte natura aequalis est vinculi, & tantum per accidens magis obligat solemnne ex Ecclesie institutione. Atque hoc est quod dixit Celestinus Pontifex c. v. v. s. qui clericus, vel non, votum simplex non minus obligare apud Deum, quam solemnne. Doctores huius sententiae retulimus lib. 7. de matrim. disp. 25. n. 5. & 6. Et quamuis Azor ibi allegat hoc temper, quando est votum simplex quo aliquid de praesentia Deo promittitur, scilicet quando est votum alicuius rei in futurum Deo praestande; hoc enim ait species differre a simplicibus, & per se, ac suapte natura maius vinculum esse: ac melius reliqui authores ibi allegati dicunt absolute, & indistincte votum simplex, & solemnne esse eiusdem speciei. Tum quia in quolibet voto simplici est etiam traditio, cum per illud voluntas liberata sit Deo tradatur, ac maneatur, aligerque ad illud obsequium in posterum ipsi praestandum. Et proinde non differunt nisi sicut traditio perfectior, & minus perfecta, quae specie non variant. Tum etiam, quia traditio uolentis, & acceptatio Praelatorum inuenta in voto solemnni, & ad id requisita, sunt accidentaria vt differantia, & solo iure ecclesiastico petita (vt optimè ait Vasquez 1. 2. q. 96. ar. 4. disp. 165. c. 7. n. 73.) & ita non consistunt specificam, & substantialem voti differantiam.

8 Secundo deducitur, votum solemnne esse totum quoddam per accidens, sicut corpus album: componitur enim ex voti substantia, & qualitate extrinseca, quae est solemnitas, vt bene ait Metina eodem c. 38. sed neque illa ipsa est.

9 Vltimo deducitur contra corollarium contrariae sententiae n. 5. relatum, per solemnne professionis votum non dirimi ex natura rei, sed solo iure ecclesiastico matrimonium sequens. Quod latissime probauimus huius sententiae authores referentes lib. 7. de matrim. disp. 26. n. 2. & probant rationes adductae n. 6. Quod idem post ibi scripta sustinent latissime probantes e nostra Societate Patres Petrus Ribadeneira in libro de Instituto Societatis I. E. S. V. c. 18. §. pro para responder. & Gabriel Vasquez 1. 2. q. 96. ar. 4. disp. 165. 1010 c. 6. & 7. Atque idem prorsus dicendum est de solemnni paupertatis voto: id enim solo iure ecclesiastico reddit profectum inhabilem ad acquirendum rei alicuius dominium, & ad illud in alium transferendum. Quia eadem rationes utrumque probant, & Spanna To. Sanchez, pars 711.

docent late probantes iudem Patres Ribadeneira, & Vasquez ibidem. Azor lib. 12. inst. moralium c. 6. q. 4. Nec obstat duo decreta in contrarium adducta n. 5. Non prius, quia Syriacus Pontifex per illa verba (verbo Domini) tantum intendit significare, ministris Ecclesiae habere auctoritatem a Christo separandi male coniunctos matrimonio: & eandem quoque auctoritatem habere ab Ecclesia. Adde, supposito decreto Ecclesiae irritanti ea matrimonium, non tantum esse contra ius ecclesiasticum; sed etiam contra diuinum naturale, illos permanere coniunctos, cum tunc sit copula fornicaria. Et ideo rectè dicitur eos utroque iure separandos. Nec obstat etiam posterius Tridentini decretum, quod ideo duplicem illum irrum reddendi matrimonium modum conuenit; quia solum contra haereticos decidere intendebat, matrimonium clericum in sacris constitutum, & professi esse irrita: sive id sit ex vi voti, sive ex Ecclesie constitutione. Quia in re nil decidere voluit, sed opinioibus sollicitum reliquit.

SVM MARI VM.

In quo consistat voti solemnitas iure ecclesiastico? Referuntur duae opiniones n. 10. & 11. & explicatur eo n. 11. quater dimissus à Societate I. E. S. V. post simplicia bienni vota, maneat à votis liber, an id sit per dispensationem? ibi.

Proponuntur argumenta contra secundam sententiam n. 12. Explicatur sententia auctoris, & soluntur argumenta n. 13. Et ibi, cur votis in Societate I. E. S. V. a professis post emissis sint simplicia, & ipsi etiam an essent? Post n. 13. inuenies omnia summaria quae desiderantur.

QVAESTIO secunda. Dato solemnitate voti esse ex solo iure ecclesiastico, in quoniam solemnitas hanc voti consistat, quae à simplicibus differit? Doctores nobiscum tradentes votum solemnne, & simplex solo iure ecclesiastico differre, & solemnitate voti esse ex sola Ecclesie constitutione, dicunt communiter hanc solemnitate in eo consistere, in eoque solemnne votum à simplicibus differre, quod per illud iure ecclesiastico matrimonium subsequens dirimatur, non autem per hoc. c. unico, de voto, in 6. At in hoc non consistere colligitur clare ex eo textu, vbi tanquam effectus voti solemnne assignatur, per illud dirimi subsequens matrimonium: ac proinde supponit iam votum solemnne constitutum. Praeterea, quia votum castitatis emissum in Societate I. E. S. V. post biennium, nouitatus est simplex: & tamen per illud iure non ecclesiastico dirimitur subsequens matrimonium; sicut utrumque constat ex extrauag. ascendente Gregorij XIII. Item votum paupertatis coadiutorum formatorum Societatis I. E. S. V. est simplex, & tamen semper reddidit eos incapaces dominij acquirendi, ac in alium transferendi; sicut utrumque constat ex eadem extrauaganti, & ex constitutionibus eiusdem Societatis à Sede Apostolica approbatis, in 6. p. c. 2. §. 12. & c. 4. c. c. c. c. c. c. c. Tandem, quia id soli castitatis voto competit, cum tamen alia similiter solemnna sint.

Alij dicunt de solemnitate voti eodem modo philosophandum esse, ac de aliis contractibus, ac testamētis, quae in iure solēna dicuntur. Sicut enim ceteris contractibus, ac testamētis accidentaliter est solēnitas, & solo iure humano inuēnita: & in voto contingit, vt satis probauimus n. 6. Sicut ergo ceteri contractus solēnnes dicuntur, quando solemnitate iure petitam habent, & vt tales in iure recipiuntur; atque tunc testamētum dicitur solēnne, quando est cum tabellione, & certo testium numero, & aliis conditionibus iure requisitis conserctum, & in eo solum solemnitas sita est: ita votum dicitur solēnne, quod vt tale acceptatur ab Ecclesia, emittiturque cum caeremonijs, & solemnitatibus ab ipsa praescriptis. Quare, Greg. XIII. in extrauag. ascendente, & constitutionibus Societatis I. E. S. V. in 5. p. c. 4. in eodem, littera A. eam rationem reddunt, cur vota coadiutorum formatorum nostrae Societatis non sint solēnna, eo quod ex Sede Aposto-

lice præscripto, & ex intentione emittentis, & acceptantis, nec emittitur ut solemnitas, nec ut talia acceptantur. Et ita docent ex nostra Societate Patres Ribadencira de *instituto Societatis* 1 s. v. c. 17. in *solutione*, ad 5. & c. 19. ad fin. Valquez 1. 2. q. 96. ar. 4. *disput.* 165. c. 8. n. 83. Azor lib. 12. *diffin. moralium* c. 6. q. 2. *fine*. Quod si iterum roges, quæ sint ex ceremoniæ ab Ecclesiâ petite, in quibus ea voti solemnitas sita est, & quibus à simplicibus differt: respondent idem Ribadencira c. 17. ad 5. & c. 19. ad fin. Valquez c. 8. n. 83. *et sequæ ad 9. 2.* cas esse, ut vota emittantur sub certa regula à Sede Apostolica approbata, iuxta ritum substantialem in eadem regula præscriptum, cum traditione, & acceptatione ex vtraque parte perpetuis, & via ordinaria indissolubilibus. Et ob hanc rationem dicunt vota biennij, & coadiutorum formatorum emissa in Societate Iesv, esse simplicia, nec acceptari ut solemnitas. Quia etsi emittantur sub regula per Sedem Apostolicam approbata, & cum ceremoniis in ipsa præscriptis, & sint ex parte voventis perpetua, non acceptantur ut perpetua ex parte Societatis. Quippe eius intentio est, iuxta constitutiones à Sede Apostolica approbatas, ut tandem maneat voventes ligati votis, quandiu Generalis Præpositus eiusdem Societatis eos duxerit in illa retinendos. Quare Generalis eos expellente, liberi manent à votis, ut dicitur in dicta extrava. *ascendente*, & in nostris constitutionibus. p. 5. c. 4. in *commento*, *littera B.* Atque (ut optime aiant Valquez c. 8. n. 86. & Valentia 2. 2. *disput.* 6. q. 6. *puncto 7. columna 1. vers.* & hoc modo.) Generalis eos expellens non dicitur eorum vota relaxare, aut in eis dispensare: sed tollit conditionem, qua sublata vota extinguantur deficiente conditione. Quod ad hoc verum est, ut etsi Generalis expellens veller eos manere votis ligatos, non posset id efficere: nam deficit conditio ut obligent, nempe, quandiu Societas eos retineat. Et ideo omnes illi dum hæc vovent, addunt iuxta modum in nostris constitutionibus expressum: qui est (ut dicitur in illis p. 5. c. 4. *littera B. in commento*) ut non sint perpetua ex parte admittentis, sed quandiu Generalis eos non expulerit. Quid autem quando non vovent secundum formam Societatis, dicemus n. 10. fine.

12 Sed hic dicendi modus videtur ex multis improbari. Primo, quod ad libitum videretur dici, in ea perpetuitate ex parte vtriusque solemnitate consistere: ut pote quod nulla ratio nititur, & nulla iuris canonici decisione; cum tamen tanquam solo iure ecclesiastico statutum, deberet alicubi à iure definiti. Secundo, quia ex perpetuitate non desideratur in aliis contractibus solemnibus. Quippe omnes illi præter matrimonium possunt mutuo consensu dissolvi: & testamentum solemnè solo testantis consensu. Nil ergo ad ea solemnitate conferre. Tertio, quia non minus ad statum constituendum desideratur perpetuitas: enim *statum* nomen præ se fert. At huic voto statuendo satis est perpetua obligatio ex parte solius voventis (ut statim probabimus.) Eadem ergo voti solemnitati sufficit. Quarto, quia etsi certum sit, professum expulsum à religione in perpetuum, teneri ad votum castitatis; valde tamen dubium est, an teneatur ad obedientiam, & paupertatem (ut videbimus lib. 6. in *tractatu de voto obedientiæ*.) Et certum videtur, professum in ordine Minorum sic expulsum, non teneri ad solemnè quadragesimalis vite votis: nec professum in Societate Iesv, ad solemnè specialis obedientiæ circa missiones Pontifici factum votum. Ea enim habent tacitam conditionem, dum professus ille in Societate, vel in ea Minorum religione permanferit. Et saltem est certum, eos non teneri, ubi transierit ad strictiorem religionem, & in ea proficerent, vel quando perpetuò à sua expulsi profitentur in laxiori. Non ergo solemnitati voti obstat, ea non esse omnino perpetua. Quinto, quia iuxta veriorè sententiam c. sequenti explicandam potest omne votum solemnè cessare per Pontificiam dispensationem: ac proinde nullum est omnino perpetuum. Sex-

tò, quia non minus est omnino perpetuum votum absolutum, simplicèque castitatis. Et vota biennij, & coadiutorum formatorum in Societate Iesv emissa, forent esse perpetua, nec desinere esse talia, eo quod simplicia sint, sed quia conditionem adiunctam habent, que cessare potest. Et voto solemnè sub eadem conditione emissio deficit quoque perpetuis deficienti conditione. Tandem, quia vota illa quæ professi Societatis Iesv post solemnem professionem emittunt, sunt simplicia (ut dicitur in extrava. *ascendente* Greg. XIII. & in nostris constitutionibus. p. 10. §. 6. in *commento*, *littera A. fine*.) At sunt perpetua, cum nulla conditione afficiantur, sed absolute emittantur in religione approbata, & iuxta eius ritum. Et confirmatur, quia votum solemnè iure natura habet perpetuò obligare. Si ergo in hoc solemnitas consistit, ea erit ex iure natura.

Sed his non obstantibus, sustinenda est sententia n. 11. relata, tanquam verissima. quod consistit ex solutione obiectorum in contrarium. Ad 1. responderetur, eam differentiam inniti maxime rationi, que colligitur ex D. Thom. 4. d. 3. q. 1. ar. 2. *quæstioncula 2. corpore*, & *quæstioncula 3. corpore*, ubi ait, in voto solemnè esse completè vim obligandi, cuius obligatio in nullo casu dissolvi potest, & inde dici solemnè, quod completam obligandi vim habeat. Ratio ergo ex hoc colligitur sic. Cum enim solemnitas sit vltimum voti complementum, & quasi ipsius obligationem perficiens, & corroborans, ut in ceteris contractibus accidit, ac de voti natura fit obligare, rationi conforme est, ut id votum tanquam solemnè acceptetur ab Ecclesiâ, talèque iudicetur, quod vndequeque perpetuò, & immobiliter, via ordinaria obligat, concurrentibus aliis requisitis: & quamvis non sit textus hoc decidens, sufficit ipsa Ecclesiæ traditio, que nunquam hæcenus nomen voti solemnè tribuit nisi voto vtraque ex parte perpetuo. Idque etiam colligitur ex c. *unico de voto* n. 6. dum decidit duplex solus esse votum solemnè, nempe, quod emittitur in professione religionis approbata, & in susceptione facti ordinis. Vtrumque enim pactum statum ita perpetuum, & immobile, ut nullo pacto via ordinaria dissolvi possit, constituitur. Ad 2. fateor, eam perpetuitatem non reperiri in aliis contractibus solemnibus. Cum enim solemnitas hæc sit de solo iure positio, ea erit in vnaqueque re, quam ius ipsam præscribit. At in cæteris hæc perpetuitatem non præscribit, sed in solo voto. Verum cum ex Ecclesiæ potestate res hæc omnino pendeat, posset quoque statueri ut absque ea perpetuitate votum esset solemnè. Ad 3. dico, minorem perpetuitatem sufficere ad statum constituendum, cum constet plerisque status perpetuitatem ex parte vtriusque non petere (ut nam. 26. probabimus.) At votum solemnè eam ex parte vtriusque petit ex Ecclesiæ statuto. Ad 4. dico, id medium, quo ea vota solemnè cessant per totalem expulsionem, & per professionem in alia laxiori religione, esse valde extraordinarium; cum petat expulsionem que in professis difficilissima est, causalque vrgentissimas exigit. Nec voti perpetuitati obstat, posse medio valde extraordinario eius obligationem cessare. Si autem professio fiat in strictiori religione, ad quam si professus iure permittente transire potest, non obstat etiam eius perpetuitati; cum nulla eius vis possit maius hoc bonum impedire. Nec tunc dicitur propriè obligatio voti cessare, sed in melius commutari. Tandem, si fit per solam perpetuam à religione expulsionem, in nulla alia profectio, nulla vota solemnè extinguuntur, sed aliquorum obligatio ut religioni annexa suspenditur, dum extra religionem professus ille est. Cuius signum est, si correctus admitteret iterum, obligari eum prioribus votis, nec nova professione indigere. Quod non contingit in simplicibus biennij, aut coadiutorum formatorem Societatis Iesv votis. Cum enim per repulsum cesset profus eorum obligatio; si semel expulsi admittantur iterum, indigent nova voto-

eam emissione, ut illis ligentur. Ad 5. dic, id esse medium valde extraordinarium in voto solemnè, cum eius dispensatio sit difficilissima, & rarissima, & causas vrgentissimas, & valde extraordinarias petat. Ad 6. fateor, omnia vota simplicia absque conditione, & temporis limitatione emissa, esse perpetua quodammodo: nempe in quantum nequit vovens se ab eorum obligatione, propria autoritate eximere. At non habent rationem vinculi vndequeque perpetui. Quippe ex eo quod simplicia sunt, est multo facilius eorum dispensatio, atque ex causis communibus passim conceditur. Atque ita iure optimo dici possunt via ordinaria solubilia. Quod enim sepe fit, dicitur modo ordinario posse fieri. Atque ideo ea vota biennij, & coadiutorum formatorum, etsi modum liberationis quem n. 11. fine explicuimus, habeant ratione conditionis adiunctæ; at ex eo quod ut simplicia tantum admittentur, quamvis absque ea conditione fierent, possent per ordinariam Pontificis dispensationem solvi, multo que facilius quam si solemnè essent. Quod si votum solemnè fieret cum simili conditione repugnante omnimode perpetuitati, non esset solemnè, sed simplex, nisi Ecclesiâ, de cuius institutione est voti solemnitas, aliam solemnitatis rationem influeretur. Ad vltimum respondet Valquez 1. 2. q. 96. ar. 4. *disput.* 165. c. 8. n. 91. & 92. duplici nomine ea vota non esse solemnè. Præsertim, quia non sunt perpetua, eo quod expulsum à Societate non obligant. Posterius, quia non continent traditionem, sed eam supponunt iam factam per solemnem professionem, que illis præmittitur. At neutra ratio mihi placet. Non prior, quia etsi in fine eorum votorum addatur, omnia intelligi iuxta constitutiones Societatis Iesv: at nulli habetur in constitutionibus Societatis Iesv, professos expulsum liberari eorum votorum obligatione. Nec Greg. XIII. in sua extrava. *ascendente*, ubi latissime & ad vnguem Societatis Iesv institutum explicat, eam liberationem declaravit. Sicut declaravit, & declarant constitutiones, eicctos post vota biennij, & coadiutorum formatorem, liberari omnino votorum obligatione. Nec obstat addi, iuxta constitutiones Societatis intelligi: quia idem additur in professione solemnè, cuius perpetuitatem non tollit id additum; eo quod nisi contra eius perpetuitatem in constitutionibus continetur: sed id additum referatur ad modum quo ea vota observanda sunt, qui in constitutionibus declaratur. Sicut dum alij religiosi vovent tria vota, addunturque, iuxta talem regulam, id additum nullam conditionem importat, sed modum obligationis eorum votorum. Et confirmatur, quia si professus ille expulsum admitteret iterum, non indigeret nova horum votorum emissione, si nec nova professione. Quare ea vota sunt solùm suspensiva, nec obligant dum ille extra Societatem est. Sicut idem dicendum est de voto solemnè specialis obedientiæ Pontifici emisso in Societate: & voto solemnè vite quadragesimalis emisso in religione Minorum. Neque etiam placet posterior ratio. Quia eadem ratione votum illud specialis obedientiæ, & votum vite illius quadragesimalis, non essent solemnitas. Cuius contrarium in illo voto obedientiæ, constat ex extrava. *ascendente* Greg. XIII. & de voto vite quadragesimalis retulimus esse solemnè n. 6. in 2. ratione. Id autem sequi probatur, quia vtriusque voto præmittuntur tria substantiaalia omnium religionum vota, per que religiosus perfectè traditur. Quare sicut per hæc nouo modo traditur ad obsequium illud diuinum per illa promissum: ita idem dicendum est de illis votis simplicibus post professionem in Societate Iesv emissa. Et ideo ad argumentum respondeo, ea vota non habere id esse perpetuum, & immobile, quod vota solemnè habent. Nam si expeditur in eis dispensatio, multo facilius negotio, & ex leuioribus causis, in eis dispensatur, eo quod simplicia sint. Et si quam maiorem perpetuitatem habent quam alia simplicia, id non

competit eis per se, & quatenus simplicia sunt, sed ex connexionem quam cum statu votorum solemnium in Societate habent, cui sunt quasi conuexa, & illum statum comitantia. Ad confirmationem dico, vota solemnè habere ex iure diuino naturali cum obligationem perpetuam, quia vota absoluta simplicia absque temporis præfinitione emissa potuntur: quam in solutione ad 6. explicuimus. At peculiari illa perpetuitate, & immobilitate, ut difficillimè, & rarissimè solui queant per solam dispensationem Pontificis, gaudent ex solo decreto Ecclesiæ constituti ea esse solemnè, & ut talia admittenti.

S V M M A R I V M.

- Quid sit status religiosus n. 14.
- An sit solo iure ecclesiastico inuentus: & olim sat esset approbatio Episcoporum? n. 15.
- An sint de eius essentia, paupertas, obedientia, & castitas? n. 16. & 17.
- An sit necessarium hæc vota firmari? n. 18.
- An sit opus, ut in religione approbata per Sedem Apostolicam? n. 19.
- An sit necessaria iurisdicctio alicuius in sic voventes: & à quo derivetur: possintque suo voto illam alicui communicare? n. 20.
- Quo iure religiosus sit sub sui superioris potestate? n. 21.
- An vota solemnè sint de religionis essentia? referuntur quadam sententia. n. 22.
- Referuntur alia dicentis emittentes vota biennij in Societate Iesv, esse ex solo privilegio religiosi? n. 23.
- Referuntur alia distinguens gradus religionis. n. 24.
- Impugnatur omnes tres sententia, & explicatur sententia auctoribus, & solentur contraria. n. 25. 26. 27.
- An sit in Societate Iesv, vel alia religione approbata cum solis votis simplicibus, nulli essent professi, esset perfecta religio? n. 28.
- An per vota simplicia biennij Societatis Iesv derivetur matrimonium ratum precedent? n. 29.
- An ea vota sint conditionalia? n. 30.

QVÆSTIO vltima. An ad veram religionis essentiam professio solemnè desideretur? Ad veram naturam status religiosi conditionem dignoscendam, præmittenda sunt aliqua. Primo, præmittendum est, quid sit status religiosus: quem sic optime definit Bellarminus in suis *controversiis*, *tom. 2. lib. 2. de monachis*. c. 2. *mit.* Religio est status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, castitatis, & obedientiæ vota tendentium. Quæ definitio deducitur ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 181. *ab ar. 2. et sequæ ad 8.* Et consistit ex conditionibus ad veram religionem petitis, quas statim explicabimus. Secundo, præmittendum est, dupliciter posse nos de statu religioso loqui. Primo, quoad suam essentiam in tribus votis consistentem. Et hoc modo influatur eius est Christus Dominus nosster, in quantum illum perfectionis statum alij prædicant, ac sequendum propositum; ve ex multis Sanctis, & Scripturæ locis probant Bellarminus eodem *lib. 2. de monachis*. c. 4. *Platus de bono statu religiosi*, *lib. 2. c. 20.* Valquez 1. 2. q. 96. ar. 4. *disput.* 165. c. 8. n. 44. *et sequæ ad 49.* Azor lib. 11. *instituta moralium*. c. 23. q. 5. Atque in ipsismet Apostolis initium habuit hic viuendi modus, tribus his votis ad perfectionis statum pertinentibus emissis, ut docent D. Thom. 2. 2. q. 82. ar. 4. ad 3. & multi alij Sancti, & Doctores scholastici, quos referunt, & sequuntur Platus *op. c. 20.* & Valquez *op. c. 5. n. 45.* Et quamvis eius perfectio à solo Apostolorum tempore fuerit; quædam tamen eius admiratio fuit in lege veteri, ut probat Platus *op. lib. 2. c. 19.* immo ante diluuium, ut probat Bellarminus eodem *lib. 2. c. 5.* Secundo, possunt loqui de statu religioso, quoad eius essentiam determinationem habent certum viuendi modum, & illius status

erectionem sub alicuius capitis potestate, & iurisdictione. Et hoc modo est solus iuris ecclesiasticus: quippe tria hæc vota non habent iure naturali, aut diuino politiuo, vt vouentem sub peculiari alicuius iurisdictione constituunt; quam ad religionis essentiam desiderari probauimus n. 20. vbi amplius vis huius rationis declarabitur. Et ita docent Bellarminus eo. 4. & clarus Valquez eo. 5. n. 48. Et quamvis Bellarminus ibi, & Azor q. 5. proximè allegata dicant non fuisse olim Ecclesie approbationem necessariam ad veram religionis rationem; quod D. Antonius, D. Benedictus, D. Basilus, D. Augustinus non perierint aliquam suæ religionis approbationem: at dicendum est, semper ea fuisse opus, atque olim fuisse Episcoporum approbationem pro suis diocesibus, donec id Romano Pontifici referuatum est. *Finali, de relig. dom. & c. unico, eod. tit. in 6. Atque ita ex multis probat Valquez ex dispu. 165. c. 4. n. 38. & 39.*

16 Tertio, præmittendum est ad veræ & propriæ religionis substantiam quatuor condiciones desiderari. Prima est, castitas, paupertas, & obedientia, quæ ita essentialiter religio statui annexa sunt, vt sine illis consistere nequeat, vt constat ex c. cum ad monasterium, in fine, de statui monach. vbi Innoc. III. ait castitatem, & paupertatem ad eod. esse annexa statui religio, vt contra ea nec summus Pontifex indulgere possit. Quem textum intelligi, vt nequeat Pontifex dispensare in his, cum religio manente tali, quasi illa sint de religionis essentia, latè probauimus lib. 8. de matrim. dispu. 8. n. 12. Et probat ex multis D. Th. 2. 2. q. 18. art. 3. 4. 5. Bellarminus in suis controversiis, tom. 2. lib. 2. de monachis c. 9. & c. 20. Et ratio est, quod religio statui sit ad perfectionem anhelare, eique adipsendam neruis omnibus incumbere. Ad eam verò adipiscendam desideratur animi ausilio ab iis omnibus, quæ non modico obstaculo sunt in religio expedit in Deum feratur: qualia sunt Venereotum vsus: tum ex vehementi delectatione, quæ animum ad terrena rapit: tum etiam ex cura familiar, filisque providendi, quæ variis curis, sollicitudinibusque animum obruit, & cupiditas bonorum temporalium, & propria voluntas, quæ multum à spiritualibus auocant. Cùm hæc ergo tria coëscantur votis paupertatis, castitatis, & obedientie, hæc erunt de essentia status religio. Præterea, quia per professionem religio nuntium procul seculo remittit, eique moritur, ad vitam spiritualem se omnino transferens, mancipansque se Deo obsequio. Et ita nomen monachi ab vnitate sumitur, quæ vni Deo vacare debeat, nec in alia diuidi. c. 1. & c. placuit, et 2. 16. q. 1. At matrimonio iunctus in alia diuiditur, vt docet Apost. 1. ad Corinth. 7. Et cupiditas bonorum temporalium, eorumque dominij retentio, & propria voluntas diuidunt in alia religio, impediuntque ne omnino, & liberè se Deo tradat, & ne perfectè renuntiet mundo, eique moriatur. Ergo paupertas, castitas, & obedientia, per quæ hæc impediuntur, erunt ad statum religio necessaria.

17 Quæ tamen conditio est causè intelligenda. Et primo, de castitate non omnino constat, ad omnimoda castitas ita fit statui religio annexa, vt nec ex dispensatione Pontificia possit dari status religio cum sola castitate coniugali. Nam qui defendunt esse verè & propriè religio, equites D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrarum, quos retulimus lib. 4. c. 16. n. 1. dicunt satis esse in hoc casu votum castitatis coniugalis. Quod eruditissimè ex multis defendit Mora lib. de confirmatione ordinis militaris, lib. 2. c. 1. 8. 12. & sequentibus. quamvis negantes eos esse verè religio, quos eodem n. 1. retulimus, dicant exigi omnimodam castitatem. Quoad paupertatem verò intelligenda est hæc conditio, ita vt essentia religionis repugnat religio retinere rei alicuius dominium, ita vt nequaquam re illa vt liceat absque superiorum facultate, est paupertas sufficiens ad verum propriumque religio statum. Quod nouissimè ex multis iustissimè probant

ex nostra Societate Patres Petrus Ribadeneira lib. de instituto Societatis. c. 18. & Valquez 1. 2. q. 96. ar. 4. dispu. 165. c. 6. a. n. 50. & c. 9. n. 10. 4. vbi bene vterque explicat c. cum ad monasterium, in fine, de statu monach. vbi Innoc. III. decidit abdicationem proprietatis esse de statui religio essentia, vt intelligatur, ita vt non retineatur proprietatis cum libera vtendi facultate. Nec de hoc dubitari iam licet: quia Greg. XIII. in extrauag. ascendente decidit, eos qui absoluto probationis biennio vota in Societate Iesv emittunt, esse verè & propriè religio, non secus ac professos eiusdem Societatis, & cuiuscumque alterius religionis, & retinere ad tempus bonorum suorum dominium, donec renuntiare iubeantur, ita tamen vt integrum non sit illis vt absque superiorum facultate. Vt in constitutionibus eiusdem Societatis habetur, p. 4. c. 4. in commento, littera E. & p. 6. c. 2. in commento, littera F.

Secunda conditio est, vt hæc tria vota aliquo firmantur. Quod docet D. Tho. ab vniuersis receptus 2. 2. q. 18. art. 6. Et ratio est, quia status petit immobilitatem, & obligationem operis ad illum statum pertinentem, vinculo aliquo firmatam (vt probat D. Thom. 2. 2. q. 183. art. 1.) & constat in statu coniugatorum, & Episcoporum. Sicut enim inter homines, vt quispiam serui, aut liberi statum adipiscatur, desideratur obligatio aliqua, aut absolutio: nec enim seruus quispiam efficitur, aut esse definit, eo quod seruiat, aut seruire desinat. Quia & liberi aliquando seruiunt, & serui fugitiui seruire desinunt. Sic in spiritualibus, ad statum desideratum immobilitas, & obligatio aliqua. An verò debeat hæc firmari votis solemnibus, disputabimus n. 22.

Tertia est, vt emittantur in religione per Sedem Apostolicam approbata: nec satis est vt modus vtendi ab illa approbetur, nisi tanquam vera religio approbetur. Quod bene docent Glossa Clem. cum ex eo, verb. tertio, de sent. excom. Abbas rubrica de regularibus n. 1. Angelus verbo religio n. 1. Syluester verbo religio. 1. q. 1. Armilla verbo religio n. 4. Nauar. commentario 1. de regular. n. 18. in corollario 23. Et ratio est, quia Ecclesie est religio erigere, atque eas approbare: & quamvis olim id Episcopi possent efficere in sua diocesi, iam id Pontifici referuatum esse probauimus n. 15.

18 Vltima conditio est, vt hæc vouens constituatur sub alterius iurisdictione, & potestate. Quod non ex vi, & natura votorum confugit, sed deriuatur à Pontificis erigente religionem. Et hæc ratio probauimus n. 15. nullum posse constitui verum religio iure ipso naturali, & ex vi votorum, sed oportere accedere Ecclesie consensum. Nemo enim potest vi solius voti ita alteri se subiicere, vt iurisdictionem in ipsum illi præbeat. Quippe etiam persona non subiecta Principi, aut Reipublice perfectæ, possint inter se conuenire ad eligendum sibi Principem, iudicem, & præpositum, ac subinde ad iurisdictionem in ipsas ei concedendam: at subiectæ alicui Principi, aut Reipublice perfectæ, nequeunt proprio consensu, etiam quibusvis votis, & iuramentis firmato, hæc iurisdictionem in seipsas alteri committere. Quia tota iurdictio est in Principem translata. Hanc conditionem optimè, & latè probat Valquez de iur. dispu. 165. c. 4. n. 14. & bene probat hæc iurisdictionem dimanare ab ipso superiori religionem approbante. Quare dum olim approbatio Episcopi sufficiebat, iuxta dicta n. 15, dimanabat ab ipso hæc iurdictio. At cum hodie solus Pontifex religiones approbare valeat, ab ipso solo hodie dimanat. Etenim non tantum ad cogendos religio sos pæna temporali carceris, aut flagellorum, aut alia simili, ad seruandum regulam, sed etiam spirituali excommunicationis. Vbi bene etiam subdit, non esse necessarium ad religionis substantiam, vt hæc potestas iurisdictionis communicetur immediatis religio superioribus, sed vt ea in aliquo residat. Postea enim Pontifex referuare sibi, aut soli Generali, aut Provinciali, hæc spirituales excommunicandi potestatem, sola penitentiæ tempo

temporali pæna communicata potestate immediatis superioribus.

21 Quare non placet quod tradit Azor lib. 12. instit. moralium. c. 6. q. 6. nempe, per vota, sine solemnia, sine simplicia, constituenta quempiam verum religio, transire illum in ius & potestatem superiorum religionis, & ratione illorum alicui superiores iurisdictionem in ipsum. Quippe oppositum probauimus n. præcedenti.

22 Sed specialis difficultas est, an vota solemnia sint de status religio essentia? Quidam enim id affirmare videntur. Quod probari videtur ex Clem. 1. inio, de religio. domibus, vbi cum textus dicit mulieres non esse religio decedat, reddidit rationem his verbis. Neque proficiantur aliquam regulam approbatam. Et clarius ex c. religio, ad finem, de sent. excom. in 6. ibi. Quamuis is qui religio ingrediatur, religio sui cenferi cum effectu non possit, donec sit tacite, vel expresse professus. & c. proreum, de regular. ibi. Cum monachum non faciat habitus, sed professio. Vbi Glossa verbo monachum, ait per solam professionem effici quempiam monachum. Adde omnia iura de religionis ingressu loquentia, intelligi de ingressu per religionis professionem: vt passim tradunt Doctores, & potest videri in Syluestro verbo religio. 3. q. vltima, quasi compertum habeant, sola professione fieri quempiam religio. Atque ita sentire videntur D. Thom. 2. 2. q. vltima, art. 2. ad 2. Glossa c. 1. verbo dedicanda, de relig. domib. D. Anton. 3. p. 2. 16. c. 3. statim in principio. Syl. verbo votum. 4. q. 5. & verbo religio. 1. in principio. & verbo religio. 3. inio. Angelus verbo religio. inio. Armilla verbo religio. n. 2. & ibi Tabiena inio. vbi dicunt, per votum solemne constitui quempiam religio, non autè per simplex. Et clarius Caiet. 2. 2. q. 188. art. 1. circa solutionem ad 4. & Sotus lib. 7. de iust. q. 1. art. 1. concl. 8. vbi expresse dicunt, statum veræ religionis non posse consistere absque votis solemnibus. Et clarius omnibus Nauar. olim in prima omnium editionum. c. non dicitur. 12. q. 2. n. 15. vbi inde inrult emittentes in Societate Iesv simplicia vota, finito nouitiatus biennio non esse verè & propriè religio.

23 Alij autem nostræ tempestatis Doctores post extrauag. ascendente, ediam à Greg. XIII. qua decidit, emittentes ea simplicia vota in Societate Iesv, esse verè & propriè religio, dixere id quidem esse ex accidenti, & privilegio Apostolico: solique professos esse per se, & ex natura rei, seclusoque omni privilegio religio sos. Et potest probari, quia communi iure attentò soli professi erant verè & propriè religio (vt n. præcedenti probatum est.) Ergo qui postea ex decreto Pontificio constituuntur religio soli votis simplicibus in Societate Iesv, erunt tales ex privilegio. Hoc enim nihil aliud est, quam priuata lex cõcessa à Principe contrarius commune; vt probat Syl. verbo privilegium, inio. Sicut hæc ratio hæc simplicia vota dicuntur ex privilegio speciali Greg. XIII. in extrauag. concessio, habere vim dimidiatæ matrimonij postea subsequenti. Quia iure communi attentò eam vim non habebant. Secundo, quia Cardinales congregatiõis sanctæ inquisitionis congregati vna cum Sixto V. decreuerunt, substantiam religionis consistere regulariter in votis solemnibus: at posse summum Pontificem aliter indulgere, seu statuere. Quæ verba referunt Petrus Ribadeneira c. de nostra Societate libro de eius instituto. c. 7. solutione ad 3. Ergo emittentes ea simplicia vota sunt ex solo privilegio veri religio. Alij autem censurè, emittentes hæc simplicia vota, esse ex solo iure ecclesiastico religio: professos esse religio sos ex ipso natura iure. Ductum, quod sit differentia essentialis, & ex ipsa rei natura inter votum simplex, quod est traditionem quandoque habeat, at eadem imperfecta, nec transferens sui dominium, & inter votum solemne, quod essentialiter consistit in traditione transferente sui dominium in religionem. Cùm ergo illa voti solemnitatis sit de iure nature, & perfectam traditionem religionis, & obsequio diuino claudat, in quo est religionis

substantia; ij soli iure nature attentò erunt verè & propriè religio, qui solemnitatis votis ligati sunt: ceteri autem, quibus ius ecclesiasticum id concessit, erunt tales ex iure ecclesiastico.

24 Alij verò dicunt, duplicem esse religio statum gradum: quemdam summum, & perfectissimum, & in hoc solos professos constitui: alterum autem verum, & proprium, non tamen eam perfectionem attingentem, & in hoc esse emittentes ea simplicia, biennij vota in Societate Iesv: ac proinde eos esse religio verè & propriè, ac ex natura rei, & non ex privilegio Apostolico. Sicut omnes sacri ordines sunt verè & propriè ordines, at inferiores non attingunt perfectionem sacerdotij. Ita docent Valentia 4. p. dispu. 10. q. 5. p. 10. 3. vbi de impedimento voti, Henricus lib. 12. de matrim. c. 5. n. 3. in iur. comment. littera N. & n. 6.

25 Ceterum dicendum est, non esse de status religio essentia vota solemnia, sed fat esse eam verè & propriè constituendum, vota simplicia. Hoc ita iam constat, vt nullatenus dubitare liceat. Nam Greg. XIII. in sua extrauag. ascendente definiuit autoritate Apostolica, & motu proprio, religio Societatis Iesv solis simplicibus biennij votis ligatos, esse verè & propriè religio, & non aliter, quam professos eiusdem Societatis, vel aliarum religionum. Quod decretum iustissimè expendunt probantes hanc sententiam, ex nostra Societate Patres Petrus Ribadeneira in libro de eiusdem instituto. c. 25. & sequentibus, & Gabriel Valquez 1. 2. q. 96. ar. 4. dispu. 165. 10. c. 2. & 3. q. 9. vbi n. 94. & 95. latè probat, hoc decretum tanquam dogma fidei Catholicæ, in prædicta extrauaganti. Quod etiã antea optimè dixerat Caiet. 2. 2. q. 88. art. 7. colum. 2. versic. sed non hæc opinio, vbi hæc ait. Mutatio statui mancipando hominem ad diuinum cultum, & religiosa opera, stare potest cum voto simplici. Vt patet, si Ecclesia institueret quod in sacro ordine, & religioe aliquorum simplex fieret. Et ratio est aperta, quia causa, & origo, cur solemnitè professi sunt in verò & proprio religio statui, est voluntas, & constitutio Ecclesie, per quã solam ea solemnitatis inueta est. (vt satis n. 6. probauimus) & ad quã solam spectat instituire, & erigere religiones, eique vouendi normã præscribere (vt n. 15. probauimus). Ergo non ita desideratur solemnitatis voti ad statum religio sum verè & propriè constituendum, quin possit Ecclesia sua constitutione veram aliquam religionem cum solis votis simplicibus approbare. Nec obstat in contrarium adducta n. 21. Quia illi textus non decidit religionis substantiam in solis votis solemnibus consistere: nec ij Doctores ista expeunt, vt non possit quispiam solis votis simplicibus ligatus effici verus religio. Sed referunt id quod tunc temporis continebat: tunc enim nullus erat verè religio, nisi votis solemnibus altitatus: quia cum illis solis institueret Ecclesia religiones. At non decernunt esse de illius status essentia, nec potestatem auferunt Ecclesie in statuendo nouas religiones cum solis votis simplicibus. Sicut & modò post allegatum Greg. XIII. extrauagantem dicerent verissimè, nec illi contrauenirent, nullum posse esse verè religio aliorum ordinum, nisi solemni professione emissã. Quia non per id afferrent vota solemnia, quod in nulla alia religioe admiserit huiusque Romanus Pontifex verum statum religio sum absque votis solemnibus. Quod amplius probatur n. sequenti.

Hinc deducitur, omnino recedendum esse à sententia n. 23. relata, dicenti emittentes vota in Societate Iesv, post biennium nouitiatus non esse religio sos ex ipsa rei natura, sed ex solo privilegio. Primo, quia aperit est contra extrauagantem ascendente Gregorij XIII. quatenus definit illos esse verè & propriè religio sos, non secus quam professos cuiuscumque religionis. At si ex solo privilegio, & non ex ipsa rei natura fierent religio, longè aliter essent religio, quam professi, cum professi sint ex natura rei religio: & ita potius dicerentur religio

instar professorum; quam non fetas quam illi. Sicut la-
 rum est discrimen inter nobiles iure sanguinis, & nobiles
 ratione solius privilegij. Quippe illi simpliciter & prop-
 riè dicuntur nobiles, nisi autem solùm improprie, & se-
 cundùm quid, eo quòd nobilitatem iuris ex privilegio
 gaudeant. Secundò, quia nullus potest esse religiosus
 ex solo natura iure, sed est opus esse ecclesiasti-
 cum religionem approbans (vt n. 15. probauimus.) Ergo
 eadem aliqua est religio, & membra illius veri religiosi,
 quatenus uolent iuxta modum à Sede Apostolica illi re-
 ligioni præscriptum. Quare si præscribat, vt solemniter
 proficiatur finito nouitiatu, soli sic profiteres erunt ve-
 ri religiosi. Si tamen præscribat, vt sola simplicia vota
 emittant, ac per illa desinant esse nouitij, erunt hi verè
 & propriè religiosi, non secus ac professi; cum vota hæc
 res pendeat, & natura status religiosi, vtorumque so-
 lemnitas, illisque reddi uolentes inhables ad rerum do-
 minia, & matrimonium, ex solo iure ecclesiastico, hoc
 modo, vel alio religiones approbanti. Tertio, quia de
 essentia veri ac proprii status religiosi non sunt vota so-
 lemnia: sed esse certam vite conditionem, qua viuatur
 in castitate, paupertate, & obedientia, voto sumatis, cum
 quadam immobilitate, & externa ceteronomia, per quam
 res pateat Ecclesiæ, & sub viuendi instituto approbato
 tanquam verè religioso per Sedem Apostolicam, atque
 sub alicuius Prælati iurisdictione (vt constat ex dictis à
 n. 15. vsque ad 20. n. præcedenti.) Quæ omnia æquè
 competunt dictis religiosi Societatis Iesv in ea vota
 biennij emittentibus, ac religiosi professis. Quarto, quia
 per ea vota fit vera traditio, verè reddens personam sub-
 iectam & mancipiam arbitrio, & potestati superioris,
 ita vt minime in posterum sit ei integrum absque apos-
 tasticæ labe recedere ab eo instituto, & vota illa acceptan-
 te à superiore nomine Dei, ex Sedis Apostolicæ facul-
 tate; vt omnia hæc testatur Greg. XIII. in sua illa ex-
 traug. ascendente. Nec obstat ratio, & perpetuitati
 ad statum petita, posse hos à Societate expelli, tuncque
 à votis liberos manere, quia ad immobilitatem, quam
 ratio status petit, satis est, ne in illo constitutus possit
 propria sponte resilire. Sicut feruus in vero, & immobi-
 li feruitus statu est, eo quod eo se liberare propria spon-
 te nequeat: quamuis possit ex domini beneplacito li-
 ber effici. Quod fortissimè in dictis religiosi procedit, qui
 non ex solo Generalis beneplacito possunt dimitti, sed
 concurrenti iusta expulsiõnis causa. Nec obstat etiam
 paupertati religiosi, eos retinere bonorum dominium
 (vt n. 17. probauimus.) Tandem non obstat in con-
 trarium n. 23. adducta. Non primum prioris sententiæ;
 est enim diuersa ratio. Nam cum iure communi decre-
 tum esset, per solùm votum solemnè ditimi subsequens
 matrimonium. c. unico de voto in 6. lex priuata idem con-
 cedens votis simplicibus Societatis Iesv, dicitur iure
 optimo priuilegium. Ad nullibi iure cautum erat, nul-
 lum effici verè religiosum absque votis solemnibus: sed
 tantum iura narrabant quod antequiritus eueniebat, nempe
 non acceptate tunc Ecclesiæ statum religiosum
 absque votis solemnibus (vt n. præcedenti diximus.)
 Quare lex cum statum postea cum votis simplicibus ad-
 mittens non dicitur priuilegium: vt potest quæ nil con-
 tra ius commune indulget. Neque etiam obstat se-
 cundum, quia per illud verbum (indulgere) intellexerunt
 (statuere) vt statim se explicarent. Non obstat etiam
 posterioris sententiæ fundamentum: quia satis n. 6. proba-
 uimus nullam esse differentiationem essentialem inter
 vtrumque votum, sed solo iure ecclesiastico extrinseco
 differere.

27 Secundo deducitur, cautè intelligendos esse Docto-
 res n. 24. islatos, dum dicunt esse duos gradus status reli-
 giosi, alterum perfectissimum, qui solis votis solemnibus
 constituitur, alterum verum & proprium, sed non ita
 perfectum, qui votis simplicibus constat. Quippe ita
 intelligendi sunt de perfectione accidentali, & non necessa-

ria statim religioso: ea enim maior est in votis solemnibus,
 vt potest per que magis perpetuè, & immobiliter
 traditur vouens religioni. At de perfectione essentiali
 id verum non est. Nam tunc essentialiter esset imperfec-
 tior status religiosus Societatis Iesv sola simpli-
 cibus biennij vota emittentium. Quod clarè pugnat cum
 extraug. ascendente Greg. XIII. vbi decreuit, eos esse
 verè & propriè religiosos, non secus ac professos.

Tertio deducitur, religionem Societatis Iesv, &
 quancumque aliam cum solis votis simplicibus à Sede
 Apostolica admittam, fore veram & propriam, ac omni-
 bus suis numeris absolutam religionem, quod arinet ad
 substantialem religionis perfectionem, est in iis nulli
 professi solemniter reperitur. Quod satis ex dictis
 constat, cum satis probauerimus n. 22. & n. 26. ad statum
 religiosum vota solemnia non desiderari. Et ita optimè
 docet Vasquez 1. 2. q. 96. ar. 4. diffus. 165. c. 9. n. 105.
 & 106.

Demum superest duplex breuis difficultas. Prior est,
 an per simplicia biennij vota, aut coadiutorum forma-
 torum, emissa in Societate Iesv, dissoluatur matrimo-
 nium ratum præcedens? Affirmant aliqui pauci Theo-
 logi, quos tacito nomine refert Vasquez ea diffus. 165. c.
 10. in fine, vbi & eorum fundamentum refert. Sed iure
 optimo contrarium probat toto eo c. 10. Quod idem sus-
 tinent & nostra Societate Patres Petrus Ribadeneira
 lib. de eiusdem Societatis instituto. c. 19. §. el primero et. Hen-
 riques lib. 1. de matrim. c. 8. n. 7. quod & nos diximus lib.
 2. de matrim. diffus. 18. n. 6. Quod inde constat, quia hæc
 matrimonij ratio dissolutio per professionem sequentem,
 aut est ex Christi Domini nostri priuilegio, aut ex iure
 ecclesiastico (vt latè probauimus lib. 2. de matrimonio, to-
 ta diffus. 19.) At nullibi in iure inuenitur hoc concessum,
 nisi soli professi solemnè. De ea enim iura semper
 agunt, cum huius dissolutionis meminere. c. despon-
 sationem, & decreta legalia 27. q. 2. extraug. Ioan. XXII.
 antiquè de voto c. ex publico, & c. ex parte de consens. coniug.
 & Trident. sess. 24. de matrim. canonè 6. Immo nec solemnii
 ordinis sacri voto id conceditur; vt deciditur ea extra-
 ug. antiquè.

Posterior difficultas est, an ea biennij vota, & coadiu-
 torum formatorum, sint conditionalia? Ratio dubitan-
 di est, quia in constitutionibus eiusdem Societatis Iesv,
 in examine c. 7. n. 1. dicitur, votum, quod emittunt prædi-
 cti religiosi post biennium probationis, ingrediendi So-
 cietatem Iesv, habere tacitam conditionem, si admittan-
 tur à Generali: & alia vota ab eis emissa habere hanc
 tacitam conditionem, dum Societatem eos retinendos iudicauerit.
 Quam eandem conditionem dicitur intelligi in
 votis coadiutorum formatorum, p. 5. eorumdem constitu-
 tionum c. 4. in commento, littera B. & D. At dicendum
 est, id votum ingrediendi Societatem non esse condicio-
 nale. Alia autem vota, paupertatis, castitatis, & obedi-
 entie, non sunt simpliciter conditionalia, cum statim per-
 fectè obligent ad ea in perpetuum obseruanda. Quod
 alienum profus est à conditionis natura, cuius est totam
 obligationem vsque ad eius euentum suspendere. Sed
 tantum sunt secundum quid conditionalia, nempe, quoad
 perpetuitatem ex parte Societatis: includunt enim
 eam conditionem, vt tantum obligent, dum Societas
 eos retinendos iudicauerit. Quæ conditio non inerat ex
 natura rei his votis. Quod inde constat, quia si aliquis in
 Societate Iesv hæc vota emisisset, non secundum il-
 lius formam, expulsius à Societate non liberaretur eorum
 obligatione, vt dicitur in eisdem constit. p. 2. c. 4. n.
 3. Tunc autem non emitteret secundum eius formam,
 quando in iis emittendis non adderet illam partem, in
 qua est conditio dicta: Omnia hæc intelligenda iuxta
 ipsius Societatis constitutiones. Dum autem dicitur per
 dimissionem non manere hunc liberum ab his votis,
 intelligendum est ex vi dimissionis, vt manent alij, qui
 cum ea tacita conditione vouent, nempe; intelligendo
 omnia

omnia iuxta Societatis constitutiones. Nam si promitte-
 teret ea in Societate se seruaturum, intelligeretur depen-
 denter à retentione; & ita de huius obligatione, quan-
 do tempore nouitiatus exit, aut tunc, post vota-
 ve biennij dimittitur, iudicandum est iuxta ea que dixi-
 mus lib. 4. cap. 16. de habente votum perseuerandi in re-
 ligione, & ab ea exit, ab eadem dimittitur. n. 81. & n. 106.
 Quia hic votum perpetuè in ea perseuerandi, & in ea
 hæc seruandi emittit. Et in dubio crederem cum hac de-
 pendencia emitti: quod in ipsa Societate emittantur,
 & intendendo perseuerare in ipsa.

CAPVT II.

An Pontifici integrum sit in quibuscumque votis solemnibus dispensare?

SVM MARIVM.

Pontifex potest in solemnibus ordinis sacri voto dispensare n. 1.
 Desideratur ad id causa publica n. 2.
 An valida sit ea dispensatio absque iusta causa concessa, pec-
 catis, tunc sacris iniuriam viuendo matrimonium, & peten-
 do, reddendo debitum, & illud sit validum? n. 3.
 An possit Pontifex dispensare in solemnibus castitatis voto, quod
 emittitur in religionis professione? n. 4.
 An desideratur ad id causa vtilitatis publicæ? n. 5.
 An possit dispensare cum professi, vt matrimonium ad tempus
 inerat: vel ea lege, vt habita prole redeat ad monasterium?
 num. 6.
 An si absque iusta causa dispenset, teneat matrimonium, pos-
 sit, licet iniri, & eo iniri peti, & reddi debitum? n. 7.
 An possit in solemnibus paupertatis voto dispensare? Refertur
 quaedam sententia. n. 8.
 Explicatur sententia auctoris: & an valeat ea dispensatio
 absque iusta causa concessa? n. 9. & 10.
 An possit dispensare in solemnibus obedientie voto: & valeat
 absque iusta causa concessa dispensatio? n. 11.

DE hac re latè egimus lib. 8. de matrim. tota diffus. 8.
 quod attinet ad votum solemnè castitatis: sed ne
 aliquid hic desideretur, summam completemur que
 ibi latius disputauimus, remittentes illic probationes, &
 Doctores. Atque addemus quid de solemnibus pau-
 peratis, & obedientie votis sentendum sit. Prima
 conclusio sit. Si loquamur de solemnibus castitatis voto an-
 nexo ordinibus sacris, concors fere omnium sententia est,
 posse Pontificem in eo dispensare. Hanc probauimus
 ea diffus. 8. n. 1. contra paucos ibi relatos contrarium dicentes.

2 Secunda conclusio. Hæc dispensatio non redditur li-
 cita propter solam spiritualis boni ipsius vouentis cau-
 sam, sed petit causam publicè vtilitatis. Hanc quoque
 probauimus eadem diffus. 8. n. 2. contra Caietanam. At-
 que ibi n. 3. redarguimus liberum loquendi modum Ab-
 baris in hac re.

3 Tertia conclusio. Si absque iusta causa dispenset Pon-
 tificem cum sacris ordinibus iniuriato, vt vxorem ducat,
 peccaret grauissimè, at teneret dispensatio, validè quæ
 esset matrimonium. An verò tunc clericus peccaret
 vxorem ducens, & postea petens, vel reddens debitum,
 sic distinguendum est. Si Pontifex absque causa dispen-
 set cum aliquo ante susceptum ordinem, siue in vniuersum
 cum omnibus, quamuis ipsiquilibet ageret, & cleri-
 cus ille vxorem ducens possit petere, & reddere debi-
 tum; nec peccaret iniens matrimonium, quando Pon-
 tificem dispensaret hoc modo in vniuersum cum omnibus
 in posterum iniuriandis. Si autem cum vno solo esset dis-
 pensatio, an hic peccaret iniens matrimonium? Dicen-
 dum est idem, quod tradunt Doctores de vtriusque dispen-
 satione concessa in iure humano absque iusta causa. De
 qua re latè egimus lib. 8. de matrim. diffus. 18. Si autem

absque causa dispensaret Pontifex cum hæcenus pro-
 motis ad sacros ordines, siue in vniuersum, siue cum
 vno: sustinendo sententiam probabilem dicentem nul-
 lum votum annecti ordini sacro, sed ex mera Ecclesiæ
 constitutione teneri iniuriatos ad castitatem; tunc quoad
 peccatum in matrimonio inuendo, dicendum est idem,
 quod modò diximus, quando dispensatio contingeret
 ante susceptum ordinem. Quia in vtroque casu est dis-
 pensatio in mero iure humano: possetque hic, post
 matrimonium inire petere debitum, & reddere ten-
 deretur. At iuxta veriorum sententiam asserentem annecti
 votum castitatis ordinibus sacris, valerit vtrique mat-
 rimonium: sed peccaret clericus mortaliter inuendo mat-
 rimonium, & postea petendo debitum, quamuis reddere
 teneatur. Quæ omnia probauimus lib. 8. de matrim.
 diffus. 8. n. 4.

Quarta conclusio. Pontifici integrum est dispensare
 in solemnibus castitatis voto à professis emisso. Hanc latè
 probauimus ea diffus. 8. n. 7. contra alios, quos ibi n. 6.
 retulimus.

Quinta conclusio. Dispensatio hæc, quò licita sit,
 indiget publicè vtilitatis causa, & vrgentissima. Hanc
 probauimus ea diffus. 8. n. 8. contra Ricardum ibi ci-
 tatum.

Sexta conclusio. Nequit Pontifex dispensare cum
 professi, vt matrimonium ad tempus inerat, nempe, dum
 nec habeat prolem, & ea habita ad religionem redeat.
 Nec ea lege, vt teneatur vxor manere indissolubili mat-
 rimonij vinculo consentire, vt prole habita professus
 ad monasterium redeat. Hoc probauimus contra multos
 inirrispetos eadem diffus. 8. n. 9. vbi concessimus, posse
 dispensare ea lege, vt si habita prole vxor liberè con-
 sentiat, vel perpetuam iusti diuortij causam dederit, te-
 neatur ad religionem redire.

Septima conclusio. Si Pontifex absque causa iusta
 dispenset cum professi vt matrimonium inerat, non va-
 lebit dispensatio, nec subinde matrimonium, iuxta sen-
 tentiam tenentem per id votum dirimi iure diuino natu-
 rali matrimonium. At retenta nostra sententia, quam
 c. præcedenti n. 6. probauimus, dicente per id votum so-
 lo iure humano dirimi, valebit dispensatio quod attinet
 ad solemnitatem illam voti solo iure humano matrimo-
 nium subsequens dicentem: ac subinde matrimo-
 nium tenebit. At erit irrita quoad vinculum voti iure
 diuino naturali impediens matrimonium iniri. Et ideo
 peccabit ille lethaliter matrimonium inuendo: ac eo
 initio peccabit quoque mortaliter petendo debitum,
 tenebitur tamen reddere. Quæ omnia probauimus ead.
 diffus. 8. n. 10.

Sed maior difficultas est de solemnibus paupertatis vo-
 to. Nauarr. commentario 2. de regularibus n. 17. et si conce-
 ditur posse Pontificem dispensare in solemnibus castitatis vo-
 to; negat tamen posse in solemnibus paupertatis voto: non
 quidem defectu eius potestatis, sed quia cum ea dispen-
 satio grauissimam causam desideret, credit talem subelle
 non posse ad paupertatis votum dissoluedum: bene ta-
 men ad votum castitatis. Matrimonium enim potest esse
 necessarium in filio Regis professo, vt totius Regni bo-
 num conferretur: & ideo poterit iusta in eo voto casti-
 tatis dispensandi causa dari. At potest monasterio egres-
 sus, ac matrimonio inito, esse Rex cum sola Regni admi-
 nistratione absque eius dominio. Et ideo non erit iusta
 dispensandi in paupertate causa.

At verior sententia, posse Pontificem in eo dispen-
 sare, sicut in solemnibus castitatis voto. Quia non est maior
 ratio de vno quam de alio: eo vel maxime quod multi
 satis probabiliter censent, monachum creatum Episco-
 patum liberari paupertatis voto (vt dicemus infra in tra-
 ctatu de voto obedientie.) Et satis iusta causa est dispensan-
 di in paupertatis voto, que istam reddit dispensatio-
 nem in voto, castitatis. Nec enim conforme est statum
 coniugali, & dispositioni necessariæ inter liberos, vt ille
 ligatur

ligatus maneat voto arctissime paupertatis, quale emiserat in religione. Et ita sustinent Patres Petrus Ribadeneira in *lib. de instituto Societas Ies. v. c. 18. §. pero para responder. & in solutione ad 1.* Azor *lib. 12. instit. moralium. c. 7. q. 2.* Valquez *1. 2. q. 96. ar. 4. disput. 165. c. 9. n. 104.*

10 Quod si absque iusta causa Pontifex dispense, valebit dispensatio, & tenebit factum quoad voti solemnitate reddentem professum incapax acquirendi dominij, & illius transferendi. Quare verum bonorum dominium acquirat, & in alium id verè transferre poterit. Nam solo iure ecclesiastico votum solemnne paupertatis ad hæc inhabilem professum reddit (vt probauimus c. præcedenti. n. 9.) Quamuis contrarium dicent asserentes eum effectum competere huic voto iure diuino naturali. At non valebit dispensatio quoad substantiam eius voti paupertatis obligantis iure diuino naturali. Et ideo peccabit mortaliter si professus, acceptando, vel transferendo rei alieius dominium contra id paupertatis votum. Sicut idem diximus num. 7. de simili dispensatione in solemnne castitatis voto.

11 Tandem idem dicendum est de solemnne obedientie voto. Potest enim Pontifex in illo ex iusta boni communis causa, sicut in aliis votis solemnibus dispensare. Atque ita docet Azor *lib. 12. instit. moralium. c. 7. q. 3.* Atque multi satis probabiliter affirmant de facto dispensare in eo, cum monacho facto Episcopo (vt tractatus de solemnne obedientie voto dicemus.) Concessa autem dispensatio absque causa iusta boni communis valebit quoad solemnitate, quæ est iure ecclesiastico: non autem quoad substantiam voti obligantis iure diuino naturali; vt in simili diximus n. præcedenti, & n. 7.

CAPVT III.

Quot modis religionis professio fieri valeat: & quando dicatur professio tacita fieri.

SVMMARIVM.

- Professio potest expressè, & tacite fieri. n. 1.
- An professio exigat verba, possint, mutus, & simul cæcus: vel cæcus, simulq; surdus proficere? n. 2.
- Professio expressa potest variis modis fieri. n. 3.
- An verba in regula prescripta ad professionem emittendam, sint de eius substantia? n. 4.
- Professio an sit necessaria in scriptis facienda? n. 5.
- An tacite proficiens possit compelli profiteri expressè: & religio capelli possit ad expressam eius professionem adiuuandam? n. 6.
- An professio possit fieri per procuratorem? n. 7.
- Explicatur conditio petita, vt facta per procuratorem valeat. n. 8.
- An desideretur scriptura ad hanc procuratoris constitutionem, vel vnus sexus? n. 9.
- An sit necessaria certa ætas, vel alia qualitas in procuratore? num. 10.
- An valeat professio, quantumcumque interuallum intercedat inter ipsam, & procuratoris constitutionem? n. 11.
- An necessario debeat professio fieri in monasterio? n. 12.
- Post n. 12. inueniuntur omnia summaria que desunt.

1 **B** I A R I A M professio fieri potest, nempe, aut expressè, quod contingit; quoties verbo, vel scripto emittitur: aut tacite, quod contingit faciendo aliqua professus propria. Atque eandem obligationem vtraque parit: vt constat ex c. *vidua*, & ex c. *ad nostram*, de regular. & ex c. *comico*, de voto, in 6. & ex c. 2. de regular. in 6. Prius ergo de expressa agemus, deinde vero de tacita.

2 Prima conclusio sit. Professio etiam expressa nullis verbis indiget, sed potest natibus, aut scripto fieri: quia nullibi reperitur verba esse necessaria. Quare mutus à natura, qui subinde furdus est, potest profiteri. Si enim est aptus ad carnale matrimonium incedum (vt probauimus lib. 1. de matrim. disp. 8. n. 12.) erit quoque ad

spirituale aptus, argum. ex c. *significatum*, de regular. Viteria, quia non minor notitia obligationis, nec minor consensus desideratur in matrimonio carnali, quam in spirituali. Et ita docent Societas tenior *confil. 61. in presertim consultatione. n. 13.* & 14. *volunt. 1.* Azor *lib. 12. instit. moralium. c. 4. q. 1.* Sed sicut *ca. disp. 3. n. 12.* animaduertimus circa matrimonium carnale, est hoc intelligendum, quando mutus ille ita perspicaci intellectu præditus est, vt si gnis edoceri valeat naturam status religiosi, possitque huius consensus exprimeret. Quod esse difficillimum diximus ibi, cum audita careat, quo hanc naturam edoceri possit: quamuis sint aliqui ita perspicaci ingenij, vt si gnis eam percipere valeant. Quod si mutus ille esset simul cæcus, aut quis esset simul cæcus, & omnino furdus, quamuis non mutus, nec hæc à natura habeat, sed casu, esset incapax proficendi, nisi antequam in hæc incidere, nosset quid esset professio. Sicut idem contra alios diximus in matrimonio carnali, *ca. disp. 8. n. 13.* Quia mutus solis fignis edoceri ualeat professionis naturam: quæ percipere nequit, si simul cæcus sit. Atqui cæcus solis verbis potest edoceri, quæ nequit percipere, si simul sit furdus.

Secunda conclusio. Professio expressa solet variis formis emitti, iuxta varia religionum instituta. Quandoque enim tria substantialia religionis vota exprimitur. Quandoque autem sola obedientia, aut vta secundum regulam illius religionis pronuntiantur. Ad clauduntur ibi paupertas, & castitas, quamuis non exprimitur, vt potest quæ in regula continentur. Et ita docet Manuel *2. tomo summa. c. 8. n. 13.* Azor *lib. 12. instit. moralium. c. 4. q. 2.* Emmanuel *Sà summa, verbo religio. num. 18.*

Tertia conclusio. Quamuis religionis regula certam profitendi formam prescribat, non sunt ea verba ita necessaria, vt aliis facta professio sit irrita: sed quibuscumque aliis facta valebit. Atque ita sic intelligentes eum textum docent Glossa c. *porreclum*, verbo *professio*, de regular. & ibi Abbas n. 13. Gregor. Lopez *1. 2. in fine. tit. 7. p. 1.* Syluest. *verbo religio. 3. q. 1. & 18. fine.* Rosella *verbo nouitium. n. 12.* & ibi Armilla *n. 14.* Tabiena *q. 11. n. 12.* Angelus *verbo professio. n. 1.* Azor *lib. 12. instit. moralium. c. 5. q. 7. fine.* Qui bene hoc limitat, nisi regula à Sede Apostolica approbata exprimat professionem alia forma factam fore irritam.

Quarta conclusio. Professio est facienda in scriptis. Constat ex c. *finali. 20. q. 1.* Atque ita docent Glossa ibi, verb. *scriptis*. Gregor. Lopez *1. 2. verbo se puaet. tit. 7. p. 1.* Syluest. *verbo religio. 3. q. 1.* Rosella, Tabiena, Armilla, vbi allegauimus n. præcedenti.

Hinc deducitur, professum tacite posse compelli, vt expressè in scriptis proficiatur, vt in posterum valeat eius professio probari, iuxta c. *finale. 20. q. 1.* Cum enim iam sit religioni obligatus, potest ab ipsa compelli ad ea præstanda, quæ ipsi præscribitur, vt in posterum professio constet. Atque similiter potest ipse compelli religionem, vt expressam eius professionem admittat. Quia obligatio est reciproca ipsius ad monasterium, & huius ad ipsum: suaque inter se proficere expressè. Quia nequit esse Prælati nisi expressè professus, *c. nullus, de elect. in 6.* Hæc docent Abbas *c. cum causam. in 7. & 8. de electione.* Gregor. Lopez *c. fine. tit. 7. p. 1.*

Quinta conclusio. Professio potest per procuratorem fieri. Quippe omnia ea quæ per procuratorem fieri non sunt specialiter interdicta, possunt per illum fieri. *l. 1. §. vsus. ff. de procurator. & c. possit quis, de regulis iuris, in 6.* At professio nullibi excipitur ex his actibus qui per procuratorem fieri possunt; vt constat ex Glossa *l. Pompeius. ff. de procurat. & c. qui ad agendum. de procurat. in 6.* in quibus locis cum talis exceptio nameret, nequaquam professionis meminit. Atque ita docent Abbas *c. accedens. n. 7. de proben.* Rosella *verbo nouitium. n. 23.* vbi Armilla *n. 14.* Tabiena *q. 11. n. 12.* Syluest. *verbo religio. 3. q. 15.* Gregor. Lopez

Lopez *f. 1. fine. tit. 7. p. 1.* Antonius Cucus *lib. 3. institutum maiorum. tit. 1. n. 76.* Emmanuel *Sà summa, verbo religio. n. 14.* Azor *lib. 12. instit. moralium. c. 5. q. 5.* Manuel *quest. regular. tomo 3. q. 17. ar. 13.* Temperat bene hoc Azor, nisi regula contrarium iubeat.

8 Quinque autem desiderantur conditiones, vt procurator hic validè proficiatur nomine absentis. Prima est, vt habeat speciale mandatum ad professionem emittendam. Et docet Manuel *q. regular. tomo 3. q. 17. ar. 13.* Quare non satis est generale mandatum ad omnia negotia, expressis aliquibus exigentibus speciale. Secunda est, vt sit mandatum ad proficendum in religione determinata: nec sufficeret generale ad proficendum in quacumque. At satis esset, quamuis in scriptura mandati non exprimeretur religio, si ore tenus, aut per nuntio, aut epistola exprimitur. Tertia est, vt procurator per se ipsam exequatur, nec poterit substituere, nisi hoc specialiter sibi committatur. Et hanc docet Manuel *eadem ar. 13.* Quarta est, vt tempore quo procurator proficiatur, non sit reuocata potestas. Si enim reuocata sit quamuis solo actu inductus, vel tacite per factum contrarium, non valebit professio. Quod est verum, quamuis ea procuratoris constitutio sit iuraturando stabilita, & reuocatio ipsam procuratorem lateat, & quamuis ipsum quoque monasterium acceptans ignoret reuocationem. At valebit professio, si dum quis mandatum dedit, verè consensit, nec reuocauit, licet tempore professionis emisse per procuratorem nec consensit, nec dissentiat, sed alius occupationibus dissentus, tunc oblitus sit, vel dormiens, vel factus infans, dummodo procurator dum proficiatur, sit sui compos. Insuper valebit professio, si tempore quo procurator eius nomine consensit, habet verum consentum is qui mandatum dedit, quamuis illum non habuerit, sed scietum, tempore quo mandatum dedit. Quare quocumque tempore intermedio dissentus sit, nil refert, dummodo tempore quo celebratur professio, consensus adit mandatum dantis, vt hæc omnia late probauimus in procuratore ad matrimonium carnale constituto, *lib. 2. de matrim. disp. 11. a. 3. v. q. 1.* Valeat enim argumentum à matrimonio carnali ad spirituale (vt ex multis probat Euerardus in suis topicis, loco à matrimonio carnali: & eo vel maxime quod & eadem rationes militent in vtroque quoad hoc, nimirum, quæ sit status perpetui, indissolubilitatis, & maxima libertas voluntatis ad vtrumque statum petita. Vltima conditio est, nec constituto procuratoris sit metu graui extorta; sicut probauimus libro 4. c. 3. n. 17.

9 Non tamen desideratur scriptura ad hunc procuratorem constitutum: nec refert diuersitas sexuum, sed potest vir esse procurator mulieris ad proficendum, & mulier esse procuratrix viri; sicut vtrumque probauimus in procuratore ad matrimonium carnale, *lib. 2. de matrim. disp. 11. n. 14. & 15.*

10 Nec etiam exigitur determinata ætas aut alia qualitas in procuratore hoc, præter eam quam ius naturale poscit ad explendum nomen: alterius consensus, nempe, rationis vlus. Quare cuiuscumque sit procurator ætatis, & qualiscumque conditionis sit, dummodo rationis vlus habeat, erit legitimus ad proficendum nomine alterius, vt in procuratore ad matrimonium carnale probauimus *lib. 3. de matrim. disp. 4. n. 8.*

11 Tandem valebit professio, quantumcumque tempus intercedat inter constitutionem procuratoris, & professionem: dummodo prior ille consensus, nec tacite, nec expressè reuocatus sit; vt in procuratore ad matrimonium carnale probauimus *lib. 2. de matrim. disp. 12. n. 7.*

12 Vltima conclusio. Professio non est necessario facienda in monasterio, sed potest vbi que fieri. Quia nullibi contrarium iubetur. Et ita docent colligentes id ex c. *textu*, Glossa *c. porreclum*, verbo *monachum*, de regular. & ibi Abbas *n. 7.* Henricus *c. finalis. 5. qui clerici*, vel *con. Angulus verbo professio. n. 3.* & ibi Armilla *n. 2.* Gregor. Lo-

pez *1. 2. fine. tit. 7. p. 1.* Manuel *2. tomo summa. c. 8. num. 13.* & *quest. regular. tomo 3. q. 29. ar. 8. fine.* & constabit ex dicendis c. sequenti. n. 102.

SVMMARIVM.

- Habitus religionis quocumque sit idem cum habitu nouitiorum, vel ab eo distinctus. n. 13.
- Explicatur conditio petita ad quemcumque proficendi in eccle. madam. n. 14. & 15. 16. 17. 18.
- Professio tacita ex eisdem defectibus redditur irrita, ex quibus expressa. n. 18.
- Quot modis fiebat arreto iure antiquo. n. 19.
- Qualiter fiat per exercitium actuum professus competentium. n. 20.
- An ad id requiratur tridui perseverantia? n. 21.
- An in professione expressa sit opus ea tridui perseverantia? n. 22.
- An desideretur exercitium eorum actuum professorum esse nouitiorum? n. 23.
- Qualiter inducatur per delationem habitus distincti parenter ab habitu nouitiorum: & an opus sit perseverantia tridui? n. 24.
- An sit opus eam habitum in monasterio deferri? n. 25.
- An petatur ea tridui perseverantia, quando is habitus in uerbo suscipitur, aut post religionis votum? n. 26.
- An ea tacita professio obliget illi religioni, an soli in genere? n. 27.
- An tunc obliget soli religioni in genere, sit votum solemnne? n. 28.
- An religio illa specialis teneatur hunc uolentem retinere? n. 29.
- An inducatur tacita professio per diuturnam delationem habitus monitorum parenter distincti ab habitu professorum? n. 30.
- Quid quando vterque habitus sola distinctione latentis secretum, que conditioes tunc exigantur? n. 31.
- Quid si nec patenter, nec occultè sit vterque habitus distinctus? n. 32.
- Quid si sit habitus ita indistinctus, est communis religionis, & aliis habitibus cum eis? n. 33.
- An inducatur professio tacita per habitus susceptionem, cum proposito uita. mutande? n. 34.
- An impediatur ualor tacite, vel expressæ professionis, per contrariam professionem? n. 35.
- An post Tridentinum sint sublatae professiones tacite? n. 36. 37. 38. & 39.
- Quid si esset in religione statutum, et possint expelli qui expressè professi non sunt? n. 40.

Hactenus egimus de professione expressa; iam de tacita est breuissimè agendum. Quia rarissimè post Tridentinum contingit sic validè proficere. Delinuit tamen vt possit professio expressa irrita ratificati proficendo tacite. Atque primò agemus qualiter iure antiquo professio tacita inducebatur: deinde vero quod nouo Concilij Tridentini iure immutatum sit. Premittendum ergo est (vt colligitur ex *Clem. finali*, de regular. & ibi omnes animaduertunt cum Glossa *verbo deincepi*, & *Abb. c. ex parte. n. 3. de regular.*) quadruplicem esse religionis habitum. Primus est distinctissimus: quod euenit quando habitus professorum distinctus à nouitiorum habitu, differentia manifestè patenti: nimirum (vt habetur *ca. Clem. finali*) colore; eo quod diuersi coloris vterque sit: aut scillata, vt in ordine Minorum nouitij detur tunicam sine caputo; professi autem cum caputo; aut forma, seu figura; vt si nouitij deferant breuiorem habitum, aut cum aliquo externo signo Crucis, fani-culi, aut panni alligati, aut appendit. Secundus habitus est distinctus; quando scilicet aliqua virtusque habitus distinctio est, sed omnino latens. Sicut quia habitus professorum quibusdam peculiaribus benedictionibus consecrati solent, non autem nouitiorum; aut quia illis datur habitus

habitus in certo loco, vel à certo superiori; his verò in alio loco, vel ab alio superiori. Tertius habitus est indistinctus; quando nimirum neutra distinctione differat verque habitus: at distinguitur ab habitu quem gestit alij religioni communem vitam cum religiosi agentes. Ultimus est indistinctissimus; quando, (sicut omnino eodem habitu videntur professi, & novitij, & reliqui tum clerici, tum laici cum eis communem vitam transigentes. Quales esse solent clerici qui vocantur monachorum capellani, & laici admittunt, siue famuli monachis inferuientes.

14 Secundò præmittendæ sunt quinque conditiones generaliter petite ad cuiuscumque professionis tacite valorem. Prima est, vt actus per quem tacita professio induci debet, fiat auctoritate, & consensu eius, cuius est in eam religionem admittere. Ratio est, quia nec professio expressa potest abique dicto consensu iuræ esse (vt probabimus c. sequenti. n. 62.) Ergo à fortiori nec tacita. Eadem enim, & par est ratio taciti & expressi: nec tacitum plus operari potest quam expressum, vt tradunt omnes scibentes. *Item quid sit certum petatur.* Et ratio est, quia professio tacita carens vim habet, quatenus inde vera professio præsumitur. Quoties ergo ex aliquo defectu professio expressa, quæ vera est, nequit valere; à fortiori nec tacita, quæ est præsumpta, valere poterit. Nam (vt optime docet Nauar. lib. 3. consil. tit. de regular. in 1. editio. consilio 5. n. 15. in 2. consil. 2. n. 15.) cum ceteris patibus difficultius cognoscitur consensus tacitus, quam expressus, multo facilius cognoscitur actum non valere ex consensu taciti defectu, quam ex defectu expressi. Et stahanc conditionem tradunt Abbas c. vidua. n. 5. de regular. Cardin. c. porreclum. in fine. eodem tit. Sylu. verbo religio. 3. q. 19. in 1. in 1. Rosella verbo nouitius. n. 18. vbi Angelus n. 14. Tabiena q. 5. n. 6. Armilla n. 7. Nauar. commentario 4. de regularibus. n. 73. & 74. Manuel quæst. regularibus. 10. mo 3. q. 17. ar. 11. Azor lib. 12. institut. moralium. c. 2. q. 3. & c. 4. q. 3. Quare dum Bartolus authentica ingressi. n. 6. C. de sacros. Eccl. ait in professione expressa exigi factum Abbatibus, non autem in tacita; non ita intelligendum est, vt sola expressa petat consensus Abbatis potentis admittere ad religionem. Sed discernim in eo versatur, vt expressa desideret factum aliquod Abbatis quo admittat: at tacita contenta sit sola scientia, & patientia potentis admittere, vt optime explicat Cardin. nuper allegatus, dicens in his favorabilibus, quale est religionis institutum capessere, satis esse hanc scientiam, & patientiam. An verò hoc exigatur, quando professio expressa irrita ratificatur per professionem tacitam, dicemus c. sequenti. n. 81.

15 Secunda conditio est, vt spontanea voluntate fiant ea per que professio tacita est inducenda. Habetur expressè c. vidua. de regular. & constat ex ratione tradita præcedenti. Si enim metus grauis professionem expressam ininit reddat (vt late probauimus lib. 4. c. 3.) nedum tacitam reddet irritam. Erit tacita lib. 4. vniuersi.

16 Tertia conditio est, vt ea scienter fiant, nempe, vt iis actibus vtens noit eos ad solos profectos pertineat. Quia cum hæc professio tacita præsumatur ex tacito ventis consensu, quo vultus insigni profiteri, data ignorantia cessat eius consensus præsumptio. Atque ita docent vniuersi auctores n. 14. allegati. Immo & requiritur iis vtentem nosse per illos induci tacitam professionem. Quippe eius rei ignorantia efficiet deesse consensum tacite proficiendi. Et ita docent Sylu. verbo religio. 3. q. 19. vers. secundo inducitur. Angelus, Tabiena, Armilla, Nauar. Manuel allegati n. 14.

17 Quarta conditio est, vt iis actibus vtens verum proficiendi animum habeat. Cum enim professio expressa contrario consensu existente sit irrita, à fortiori erit tacita, iuxta dicta num. 14. Nec satis erit se habere negatiue, nempe, nec habendo animum proficiendi, nec non proficiendi, sed positiuus proficiendi per eos actus animus

desideratur; vt optime docet Nauar. commentario 4. de regular. n. 75. Quia ij actus carens professionem tacitam inducunt, quatenus internum proficiendi animum indicant. At in habenti se negatiue nullus est internus proficiendi consensus.

18 Vltima conditio est, vt iis professionum actibus vtens, sit constitutus in legitima ætate iure petita ad professionis expresse valore. Quæ est pubertas completa. Constat ex c. constitutionem. de regular. in 6. & tandem ex omnibus causis, ex quibus toto c. sequenti dicemus professionem expressam reddi irritam, reddetur à fortiori irrita professio tacita; vt probat ratio n. 14. adducta.

19 His præmissis, dupliciter iure antiquo poterat emitte professio tacita. Prior modus est per exercitium actuum, qui professionum propriij sunt; posterior per habitus professionum delationem.

20 Prior ergo modus est, quando seruatibus quinque conditionibus expressis à n. 4. vsque ad n. 14. quilibet se proprijs professionum actibus ingerit. Cum enim actus ij sint professus proprii, eo ipso censetur profiteri velle, qui sciens, & prudens sponte se illis cum alijs professis ingerit. Habetur c. vidua. de regular. Sufficit autem iure iure, siue sola illius religionis consuetudine, ij actus sint professionum proprii. Constat ex c. vidua, vbi ponderatur ad tacitam cuiusdam feminae professionem, eam inter moniales professas oblationem quandam obtulisse, cum tamen (vt testatur ibi Glossa verbo oblationem, & Innoc. n. 5.) sola religionis illius consuetudine competere solis professis. Atque ita docent ibi Abbas n. 6. Sylu. verbo religio. 3. q. 19. vers. primo ergo. Angelus verbo nouitius. n. 12. vbi Tabiena q. 5. n. 6. Armilla num. 7. Azor lib. 12. institut. moralium. c. 4. q. 3.

21 Dubie autem questionis est, an ad huiusmodi tacitam professionem requiratur tridui perseverantia in eo actuum exercitio? Affirmat quidam: quod ea tridui perseverantia petatur c. ad nostram. de regular. ad tacite professionis ex habitus professionum delatione præsumptionem. At eadem est ratio de predicto actuum exercitio. Alij autem negant: quia id non petitur c. c. vidua. Sic Azor n. præcedenti allegatus. At si veritate sententia est concludenda. Si concurrant hæc duo, nempe, assumptio habitus peculiaris professis, & exercitium actus illis solis, siue iure, siue consuetudine competentis, non exigitur tridui perseverantia. Et sic procedit d. c. vidua, quod ad eam professionem præsumendam, ponderantur assumptionem habitus, & oblationem cum alijs monialibus. Quæ solis professis competebant: ac nulla tridui mentio fit. Quod si alterutrum solum ex his concurrat, opus est ea tridui perseverantia. Atque ita procedit textus d. c. ad nostram. Et ita docent Anton. eo. c. vidua. n. 11. & ibi Abbas n. 7. Rosella verbo nouitius. n. 16. Angelus, Syluester, Tabiena, Armilla allegati n. præcedenti. Nauar. commentario 4. de regular. n. 73. Quod bene intelligunt Angelus, Sylu. Tabiena, Armilla ibi, si habitus ille professionum distinctus esset distinctione patenti ab habitu nouitiorum, eo modo quem n. 13. explicauimus.

22 Immo & in professione expressa non præmissio nouitiatu anno, affirmat Innoc. c. ad nostram. n. 2. & 3. de regular. exigat eam tridui perseverantiam. At iure optimo id reprobat Abbas ibi. n. 4. Quia textus ille eam petens loquitur de sola professione tacita: & quia poterat dubitari quo animo habitus ille deferretur, petita est tridui perseverantia. Quæ animi dubitatio in professione expressa non militat, & ideo nulla temporis mora desideratur.

23 Rursum dubitatur, an sit opus eos actus professionum exercerent esse nouitium? Quidam exigat affirmant. Nam aliqui quia clericus secularis actibus professionum se ingerens, censetur professus. Item quia cum desit fundamentum ingressus religionis, censetur ille tanquam secularis eos actus exercere. Ita docent Abbas c. vidua. n. 7. de regular. Rosella verbo nouitius. n. 16. At ita distinguen-

guendum est. Si quis actibus professionum se ingerat sine proprio professionum habitu, exigitur vt sit nouitius; secus si vtumque concurrat. Quippe eo. c. vidua, vbi vtumque concurrat, nulla nouitiatu mentio fit. Atque ita docent Sylu. verbo religio. 3. q. 19. vers. primo ergo. Nauar. commentario 4. de regular. n. 73.

24 Posterior tacite professionis modus est, cum quis sciens, & prudens desat sponte tridui distinctissimum professionum habitum, nempe, qui est patenter distinctus modis quos n. 13. explicauimus. Habetur expressè c. ad nostram. de regularibus, & c. constitutionem, eodem tit. in 6. & docent omnes. Quod quantum ad tridui perseverantiam, intelligitur dimmodo simul non exerceatur aliquis professionum actus (vt diximus n. 21.) Insuper desideratur concurrere quinque conditiones declaratas à n. 14. vsque ad 18. Atque eam tridui perseverantiam dicit Glossa eo. c. ad nostram. in fine, ideo peti, quia prope pueritiam, nec præmissio nouitiatu habitus susceptus est. Sed melius Abbas ibi sine, dicit hoc non esse in pueris speciale, sed generaliter procedere, quoties non præmissio nouitiatu habitus professionum suscipitur. Quare susceptus post nouitiatu annum, non indiget tridui delatione ad professionem tacitam inducendam; vt clarè constat ex c. non solum. in fine. de regular. in 6. & tradunt Glossa ibi, verbo infra probationis, Abb. eo. c. ad nostram. in fine. & constat ex eo textu, ibi; *Habitum siue probatione suscepit, & infra triduum depositus.*

25 Non exigitur autem eum habitum in monasterio deferri: sed satis est intra, aut ex licentia Abbatis extra deferri. Quia deferens eum extra ex Abbatis licentia, censetur illum intra deferre; vt bene tradit Abbas c. ex rescripto. n. 1. de iur. iur. & docent auctores statim allegandi. Ita tradunt idem Abbas c. ad nostram. n. 3. de regular. Sylu. verbo religio. 3. q. 19. vers. secundo inducitur. Angelus verbo nouitius. n. 12. vbi Tabiena q. 5. n. 6. Nauar. commentario 4. de regularibus. n. 74. notabili 3. & lib. 3. consil. tit. de regularibus in 1. editio. consilio 41. n. 22. in 2. consil. 43. n. 2. Azor lib. 12. institut. moralium. c. 4. q. 3. & 3. q. 7. Manuel q. regular. 10. mo 3. q. 17. ar. 11.

26 Aliqui excipiunt duplicem casum, in quo ea tridui perseverantia non exigitur. Prior est, si ille professionum habitus tempore morbi assumatur, quippe tunc videtur eum deliberatione susceptus. Posterior est, quando quispiam religionis ingressum vouerat, & ingreditur recipiendo incontinentiam habitum professionum; quia videtur deliberatè fecisse. Vtrumque docent Ioan. Andre. c. ad nostram. n. 2. de regular. & ibi Anton. in fine. At iure optimo de vtroque casu dubitant Abbas ibi. n. 5. & Rosella verbo nouitius. n. 15. & in partem contrariam inclinant, & vtumque casum reprobant Franc. c. constitutionem, in fine. de regular. in 6. Angelus, Sylu. Tabiena, allegati in n. præcedenti. Quia indistinctè ea tridui perseverantia petitur eo. c. constitutionem, & eo. c. ad nostram. Atque in infirmitate minor est deliberatio.

27 Ceterum hæc tacita professio per triduum habitus delationem non præmissio nouitiatu anno, & minime obligat specialiter illi religioni, cuius habitus susceptus est, sed religioni in genere; vt expressè decidit c. constitutionem. in fine. de regular. in 6. & tradunt omnes. Quare licet ibi docent eligere religionem quamcumque laxiorem; vt bene docent Abbas c. ad nostram. n. 5. de regular. Rosella verbo nouitius. n. 14. At suscipio huiusmodi habitus præmissio nouitiatu anno inducit tacitam professionem obligantem ei speciali religioni: vt bene docet Alex. de Neuo c. consilium. n. 13. qui cler. vel vni. Quia id c. constitutionem, loquitur expressè de professione tacita tempore nouitiatu se inducitur. Nec hæc præmissio nouitiatu anno indiget tridui perseverantia; vt bene docet Alex. de Neuo c. consilium. n. 13. qui cler. vel vni.

28 At dubitatur, an ea professio tacita obligans soli religioni in genere, habeat vim voti solemnium dirimentis subsequens matrimonium? Multi affirmant, quos retulimus lib. 7. de matr. disput. 25. n. 12. At contrarium fati Summe Th. Sanchez. Pars 111.

ibi probauimus, nempe, solius voti simplicis religionis vim habere: & hoc ante decretum Tridentini (prout hucusque loquimur,) & id etiam modo approbamus.

29 Sed adhuc dubium restat, an ea religio, quæ tacitam professionem hanc admittit, teneatur illum sic profitentem admittere? Et dicendum est teneri, quamuis ipse non teneatur ad eam præcisè, sed ad eam, vel ad aliam. Ita affirmant Sylu. verbo religio. 3. q. 20. Angelus verbo nouitius. n. 14. & ibi Tabiena q. 6. n. 7. Armilla n. 8. Azor lib. 12. institut. moralium. c. 4. q. 5. Ducuntur tamen Angelus, Sylu. Tabiena, Armilla ibi, quia cum hic sit verè professus, & nulla alia religio teneatur eum admittere, si illa non teneretur, posset in seculo manens inire matrimonium. Sed hæc ratio non placet: quia verus est, hunc non esse legitime professum (vt diximus n. præcedenti.) Quare legitima ratio est, quam tradit Azor ibi. Quippe ex quo monasterium tacitam illius professionem admittit, censetur illi obligari: & sibi imputari, si iure ita determinante, alter non tibi, sed religioni in genere obligetur.

30 Quando autem habitus nouitiorum patenter à professionum habitu distinguitur, per nullam cuiuscumque temporis delationem talis habitus nouitiorum professio tacita inducitur. Quin potius is habitus manifestum præ se indicium præbet voluntatis permanendi in nouitiatu. Et ita colligitur ex Clem. finali. de regular. vbi id docet Glossa verbo deinceps. Abb. c. ex parte. n. 3. de regular. Angelus verbo nouitius. n. 11. vbi Tabiena q. 5. n. 6. Sylu. verbo religio. 3. q. 19. vers. tertio inducitur. Nauar. commentario 4. de regular. n. 74. Azor lib. 12. institut. moralium. c. 4. q. 3. Quod intelligitur, quando sola eius habitus delatio adeat. Quia si deferens eum habitum, perseveraret triduo exercens aliter actum professus solis competentem, esset tacite professus. Cum dato eo tridui spatio, sufficere delatio habitus professionum, aut exercitio horum actuum vacare (vt n. 21. diximus.) Et ita aduertit Alex. de Neuo c. consilium. n. 13. qui cler. vel vni.

31 Quod si habitus professionum sola distinctione latentè secretatur à nouitiorum habitu, modo quem n. 13. explicauimus, runc per annum illius delationem completa pubertate, inducitur professio tacita obligans illi religioni, cuius est habitus. Habetur expressè Clem. finali. de regular. ibi. *Eos qui deinceps in discretionis consensu atate, nouitiorum habitum in aliqua religione per annum portauerint, hoc ipso religionem illam decernimus esse profectos: nisi huiusmodi habitus in colore, siffura, vel forma, sit distinctum patenter exhibeat ab habitus professionum.* Hæc autem discretionis atas in eo textu petita, est pubertas omnino completa, nec malitia supplet atatem; vt bene docent ibi Glossa verb. atate, Imola n. 5. & nemo contradicit. Quia iure antiquo eam atatem peti ad professionis expresse valore, nec malitiam supplere atatem, probauimus c. sequenti. n. 2. Nec sufficit incepisse ante pubertatem deferri illum habitum, & pubertate adepta annum consummatum esse: fed integer delationis habitus debet esse post pubertatem. Quia id indicant ea verba d. Clem. finali. in discretionis atate portauerint. & docent ibi Glossa verbo portauerint, & ibi Imola n. 2. Insuper petitur in eo textu, habitum portari in religione per Sedem Apostolicam approbata: quare secus esset, si extra religionem portaretur. Atque ita docent ibi Glossa verbo in aliqua, & ibi Imola n. 5. Abbas c. porreclum. n. 8. de regular. Intellige tamen, nisi extra religionem deferretur ex Abbatis licentia (vt diximus n. 25.) Atque ita docent Angelus verbo nouitius. n. 12. Sylu. verbo religio. 3. q. 19. vers. tertio inducitur. Annum autem ille, quo hic habitus deferretur, debet esse integer; vt constat ex c. 1. de regular. in 6. ibi, *quod si verum.* Non tamen oportet excedere annum, & anno illi addere diem: quia textus solum annum petit; & cum voluit anno addi diem, nempe, vt integrum esset impuberem à religione reuocare, id expressè c. puel. la. 20. q. 2. Atque ita docent Glossa ea Clem. finali. verbo per annum, & ibi Imola n. 6. Palud. 4. d. 32. q. 2. n. 15. Diuus

